



# HISTORIÆ ROGGENBURGENSIS PARS POSTERIOR DE ABBATIBUS.

**T**rajecimus (Deo sint laudes) flumen non absque metu naufragii. Cùm enim fax non nisi obscurissima, subinde omnino extincta, de Pharo penderet, non semel animo pendere cæpimus, quorsum vertenda esset prora, ut anchoram tutò figere possemus. Jam læti vela damus pelago, in quo remigandum quidem erit diutius, sed, quod speramus, ventô magis propitiô carbasa inflante. Itaque hac secunda Historiæ Roggenburgensis Parte Abbatum explorabimus fata. Ordo servabitur idem, qui fuit partis primæ de Præpositis; nempe in fronte collocabimus Abbates nostros, medium tenebunt Antistites Ecclesiârum Filialium, in fine ponemus Annotationes. Ut verò, quales quantosve Viros commemoraturi simus, Lector benevolus uno quasi intuitu cognoscat, Abbatum nomina, annos electionis & mortis, tabula sequens docebit.

## TABULA ABBATUM.

Nomen.	Electus.	Mortuus.
I. JOANNES DEYRINGER, Sueviæ & Bavariæ Visitator.	1440.	1474.
II. UDALRICUS POELLER, resignat 1482.	1474.	1484.
III. GEORGIUS MÄHLER, primus Infulatus, J. U. Doctoř Friderici 3tii Imperatoris Consiliarius intimus.	1482.	1505.
IV. JOANNES MILLER	1505.	1507.
V. JODOCUS TREHER, Maximiliani I. Imp. Consiliarius intimus.	1507.	23. Maii 1528.
VI. JOANNES MAYER, hujus cognominis I.	1528.	7. Novembris 1543.
VII. GEORGIUS ERMANN, Sueviæ & Bavariæ Visitator.	20. Novembris 1543.	15. Decembris 1554.
VIII. JOANNES MAYER, hujus cognominis II, Rmi. S. R. I. Prælatorum Collegii Circuli Suevici Director, resignat anno 1566.	22. Decembris 1554.	16. Junii 1570.
IX. GEORGIUS HIEBER.	19. Octobris 1566.	1572.
		X. JOAN-

Nomen.	Electus.	Mortuus.
X. JOANNES SCHI FELIN Resignat 1580.	22. Martii 1572.	
XI. JOANNES MAYER, hujus cognominis III.	24. Novembris 1580.	1. Februarii 1581.
XII. VITUS BREG, Resi- gnat 1589.	10. Februarii 1581.	
XIII. JACOBUS WERCK- MANN.	24. Augusti 1589.	20. Februarii 1610.
XIV. MICHAEL PROBST, Resignat 1639.	19. Martii 1610.	15. Decembris 1640.
XV. FRIDERICUS ROMMELIUS, SS. Theol. Licentiatus.	5. Decembris 1639.	30. Augusti 1656.
XVI. BONAVENTURA SCHALCK.	31. Augusti 1656.	18. Novembris 1661.
XVII. FRANCISCUS DO- SER, Resignat 1677.	5. Decembris 1661.	1678.
XVIII. ADALBERT US postulatus è Canonia omni- RAUSCHER, Resignat 1694.	postulatus è Canonia omni- um Sanctorum 10. Junii 1677.	25. Augusti 1711.
XIX. HUGO LINDTNER, Resignat 1713.	18. Februarii 1694.	3. Augusti 1722.
XX. DOMINICUS SCHWANINGER,	5. Decembris 1713.	24. Februarii 1735.
XXI. CASPARUS GEIS- LER, SS. Theol. & SS. Can. Lic. Vicarius Gener. & Visit. Rmi. S. R. I. Prælatorum Collegii Circuli Suevici Condirector.	22. Martii 1735.	23. Junii 1753.
XXII. GEORGIUS LIEN- HARDT, hodie præest, præfitusque diu.	17. Julii 1553.	

Et hæc sunt nomina nominatissimorum Imperialis Canonizæ nostræ Abbatum; quanta pro bono Monasterii egerint, durissima non nunquam experti, nostrum modò est, dilucidare. Neque veretur calamus subintrare hoc mare magnum & spatiostum, dum oculus ubique securum respicit portum. Sit igitur

## CAPUT I.

Joannes Deyringer, Abbas I. Sueviæ & Bava-  
riæ Visitator.

## §. I.

*Fridericus III. Imperator concedit privilegium erigendi molendina,  
prohibet, ne subditi nostri alibi recipiantur in cives. Ejusdem primæ pre-  
ces. Emitur Nordbolz. Alienata vindicantur. Joannes moritur.*

**A**gmen Abbatum idem ipse, qui chorum claudit Præpositorum, ducit Joannes Deyringer, vir tanto honore dignissimus, quamvis usque modò sit mysterium, quā demum via Joannes ad majora subsellia ascenderit. Puer solem primò vidi Ing-  
stadii, pagō Imperiali nostro Monasterio proximè adjacente. Ephebos egressus, & lit-  
teris apprimè excultus, niveam ingressus est Religionem, in qua super nivem dealbatus  
pro-

progressus fecit tam admirandos , ut , qui venerat servire Deo cum metu & reverentia , anno 1440 dignissimus fuerit judicatus , qui cum potestate dominaretur Servis Dei. Sub Præpositi nomine Domum Domini curæ suæ commissam felicissimè administravit usque ad annum 1444 , quo Præpositum cum Abbatे mutavit , non mores , nam semper perst̄it Joannes in eodem. Abbas , sive Religionis Zelum attendas , sive Oeconomiæ peritiam desideres , utrinque sicut emens. Unde suos inter Comprovinciales Abbatē singulari condecoratus est præminentia , constitutus ab Ordinis Archimandritâ Suevie & Bavariae Visitator. Hoc sub onere utū nemo non fudet , Joannes neutiquam fractus , vires ita divisit , ut dexterā Provinciam universam , sinistrā Roggenburgum suum dexterrimè sustentaverit , Abbas felicissimè ambidexter. Pluribus intento non fuit minor ad singula sensus ; quod sensit & experta est Canonia nostra , à cuius cer-  
vice sinistra quævis providentissimus removit , & bonis variis studiosissimus augmen-  
tavit.

Annō Salutis 1448. primum & non postremo ponendum loco Privilegium obtinuit à Friderico III. Romanorum Imperatore glorioſissimo , cujus tenore omnibus & singulis Dynastiis severè interdictur , sine consensu Abbatis & Conventū subditos territori nostri in cives alibi locorum recipere. Amplissima insuper facultas conceditur , in bonum Monasterii & subditorum in quocunque ditionis nostræ fundo erigendi molenda , salvo tamen jure tertii , adiectâ in contravenientes huic Privilegio , aut usum impeditentes pœnā duarum marcharum auri , toties quoties à transgressoribus solvenda , quarum pars altera Cameræ seu Fisco Imperii , pars altera Abbatī & Conventui Roggenburgensi deputatur. Datum hoc Privilegium annō salutis , ut suprā , Neustadii die Mercurii ante Festum S. Thomæ , imperii Friderici nono , appenso sigillo majori firmatum. Ad Mandatum proprium Domini Regis in Consilio.

Idem Fridericus Imperator ad Joannem primas preces interposuit pro Joanne Koprell , ut pro pietate sua & servitiis fideliter præsticis à Monasterio Roggenburgensi præbenda quædam laicalis eidem concedatur ad dies vitae , & in omnibus corporis necessitatibus è culina & cellaria provideatur. Quis iste præbendarius fuerit , nescitur. Litteræ autem Cæsareæ datæ sunt Neustadii die Veneris post Festum S. Martini anno Christi 1454. Regni Romani 15 , Cæsareæ Dignitatis 3. Chartæ pergameneæ inscriptæ , & majori Sigillo roboretæ. Ad mandatum proprium Domini Imperatoris Ulricus Welzli Vice Cancellarius.

Qui præbendas aliis concessit ad primas preces , pretio comparare etiam novit suo Monasterio Bona , quæ victum præberent filiis. Anno siquidem 1457. à Vito de Hochen Rechberg emptionis titulo ad Canoniam transtulit pagum Nordholz , avitam nobilissimæ ejusdem nominis familiæ sedem , solutis milie quadringentis florenis , prout testatur Instrumentum emptionis sigillis sex munitum. Summa , quantumvis hodie vix coemenda domui honestiori sufficiens , tempore illo censebatur notabilis , utpote quo sua India viscera necdum aperuerat , ut fulvum Europæ parturiret metallum. Ut verò ex omni parte pro bono Cœnobii sui staret Joannes , nec momento quievit , sed à quieta sua , ut putabant , Bonorum Roggenburgensium possessione deturbaturus malæ fidei detentores , domi se non continuit , Romam usque supplicibus litteris excurrens , ut alienata redirent ad Dominum. Impetravit igitur à Callisto Papa III Rescriptum Pontificium , Præposito ad Insulas Wengenses in Ulm , & Decano S. Mauritii Augustæ inscriptum sequentis tenoris :

Callistus Episcopus Servus Servorum Dei , Dilectis Filiis Præposito in Wengen per Præpositum solito gubernari , Constantiens Diœcesis , & Decano Ecclesiæ Sancti Mauriti Augustensis , Salutem & Apostolicam Benedictionem Dilectorum Filiorum Abbatis & Conventū Monasterii in Roggenburg , Præmonstratenſis Ordinis , Augustensis Diœcesis , precibus inclinati , præsentium vobis autoritate mandamus , quatenus ea , quæ de Bonis ad dictum Monasterium spectantibus alienata inveneritis illicitè , vel distracta , ad jus & proprietatem ejusdem Monasterii legitimè revocare curetis , contradictores per Censuram Ecclesiasticam , Appellatione postposita , competendo , Testes autem , qui fuerint nominati , si se gratiâ , odio , vel timore subtraxerint , Censurâ simili , Appellatione cessante , compellatis veritati testimonium perhibere. Quod si non ambo his exequendis potueritis interesse , alter vestrū nihilominus exequatur. Datum Romæ apud S. Petrum , anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadrageſimo septimo , pridie Nonas Maii , Pontificatus nostri anno tertio.

Rebus tam præclarè geſtis Joannes verè magnus audiebat , & majora sibi de viro ad maxima nato promittebat Roggenburgum. Sed mors edentula minuit Joannem , qui filios sine Patre , Provinciam absque Vicario , tristes reliquit , ad Cœlorum gaudia translatus. Annalista Ordinis scripsit , Joannem trienniō ante mortem negotiosum

Marthæ ministerium cum tranquillo Mariæ otio permutasse. Quo ex fonte hauserit ista, nescimus. Erroris convincit testis vel mutus, lapis nempe sepulchralis, qui muro immisso nomen saltem Joannis, & annum obitūs 1474 (non 1477, ut ponit Annalista) cùm laudes & encomia Abbatis capere non valeret, hunc in modum exprimit:

Anno Domini 1474 obiit  
Venerabilis Pater & Dominus Joannes Deyring,  
Hujus Monasterii primus Abbas,  
Cujus anima requiescat in pace.

Amen.

Ejus commemoratio in Necrologio habetur ad diem VIII. Augusti.

§. II.

*Jodocus & Joannes, Canonici Roggenburgenses, postulantur ab Ursperga in Abbatess, quæ eorum ibi fuerint fata.*

**M**agnum suprà diximus Joannem Abbatem nostrum, melius scripsisset penna maximum, utpote Patrem Abbatum. Filios nempe velut aquila pullos, ad summa educavit. Primus de horum numero, & omni numero absolutus fuit Jodocus, à Canoniciis Urspergensibus in Abbatem XXXII. postulatus est anno 1452. Parcè, & satis obscurè de Viro Clarissimo loquuntur Urspergenses Fasti, dicentes: summos in servandis augendisque Monasterii bonis conatus dum adhibet, æmulorum infidias subterfugere nequiens, fuga & cessione se proripuit. Meliori calculo Jodocum notavit R. P. Cham, qui ait: Vir erat verè magnus, & virtutis Præmonstratensis in se suisque studiosus, & Religionis in sacris & profanis Zelator eximius, qui summa cum diligentia præfuit. Sed pulsus ob invidiam regnò virésque superbas, rarum decus virtutum, splendoris sui radios alibi diffudit. Augustam namque venientem vix Eminentissimus DD. Petrus de Schaumberg S. R. E. Cardinalis & Episcopus Augustanus vidit, mox vicit Principis animum Jodoci virtus, cui priùs Infula Abbatialis æmulos, Mitra Episcopalis peperit æmulatores, pro eo acriter pugnantes, quis eorum esset major in laudando Jodoco, ex Abbatte Urspergensi in Episcopum Adramytenum & Suffraganeum Augustanum promoto. Cùmque illo tempore Abbatia Fuldenbacensis, Ordinis S. Benedicti, Episcopi Augustani subjaceret regimini, administratio illius Jodoco nostro, exploratæ virtutis & periæ viro, ab eodem Eminentissimo Cardinale commissa est anno 1468. Tandem expleto administrationis triennio, Augustæ ad augusta cælorum atria virtus exaltavit, quem invidie virus suppressore moliebatur. Lapis sepulchralis, in ambitu Cathedralis Ecclesiae, exhibet Jodocum, Redemptori nostro è cruce deposito adgeniculantem cum hac epigraphe:

Anno MCCCCCLXXI.

XXIII. Menfis Januarii obiit Reverendus in Christo Pater  
Et Dominus, D. Jodocus, Episcopus Adramytenus,  
Suffraganeus Augustanus, cujus anima requiescat in pace.

Si licet, & fas est, nos Cygnum superaddimus, tumescensibus oceani fluctibus innatantem cum lemmate: *elevant adversa*. Bruschius quoque in Chronologia Monasteriorum &c. laudibus Jodoci suum commodavit calamus, verbo Ursperg sequenti carmine ludens:

Et hic mihi est paucis canendus versibus,  
Multæ fuit qui clarus arte & gloria:  
Amavit ipsum Phœbus atque Palladis  
Varia Chorus præstantia & arte nobilis.  
Adeste nostris ergo Musæ versibus,  
Iterum feram vobis dignum munusculum,  
Non pœnitabit vos laboris istius,  
Insumitis brevem quem meo nomine.  
Ad id facillimum est laudare dexteros,  
Quos inter hic primum merebitur locum;  
Animo, fide, solertia, virtutibus,  
Coluit pio vos ille semper pectori,  
Vestrosque alumnos, & bonos clientulos,  
Qui vestra amore castra seellantur pio.  
Pietatis alter haud fuit studiosior,

Con-

Constanter & Christum , ipsiusque dogmata,  
 Laudavit , ac Marpesiā constantiā  
 Defendit , hanc Divinæ fortitudinis  
 Turrim sacram nullo violandam tempore.  
 Is cùm novem annis hic sedisset integris ,  
 Exutus Abbatis fuit cognomine ,  
 Nec amplius frons hæc ferebat Infulam ,  
 Quam Pontifex summus piis concesserat  
 Rectoribus clari istius Sacrarii.  
 Injuriam quam cùm tulisset fortiter ,  
 Vocatus hinc ad Augustanum Præfulem ,  
 Graviore dignitate sublevatus est.  
 Donatus est quā plurimis honoribus ;  
 Nempe virtus ipsa omnibus suum locis  
 Decus solet , dignumque habere præmium ,  
 Sua fortibus virisque ubique patria est ,  
 Ut piscibus totum mare est patria optima.

Optimè , si Superis placet. Sed risum teneatis amici ; tu vero Apollo laurum depone , & Bruschio impone.

Alter , quem Roggenburg Urspergæ dedit Abbatem XXXIV , erat Joannes Gern gros , qui nullam omnino laudem tulit ; dicitur enim , quod , cùm desperaret , Urspergam alieno oppressam ære liberari posse , inertem & in molli otio vitam egerit , ac consumperit usque ad annum 1479. Sed miramur sanè , quod Ursperga Joannem Gern gros non minuerit , quæ Jodocum habere noluit magnum , & Ulricum Joannis Prædecessorem Censorio Ordinis judicio amotum vidit.

### §. III.

#### *De Abbatibus S. Lucii , & Churwaldiæ.*

Hæc quoque Canonia utraque sub Joanne nostro Præpositi nomen valere jussit. Et Sancti-Lucenses quidem Joannem IV , primum salutaverunt Abbatem. Is anno 1456. à Callixto Papa III. impetravit Bullam contra invasores Bonorum S. Lucii , executoribus denominatis Abbatie Monasterii Fabariensis , Ordinis S. Benedicti , Præposito S. Felicis , & Decano Ecclesiæ Cathedralis Curiensis. Pius II , P. M. insigni pictate Joannis & doctrinæ motus , eundem Abbatialibus Infulis anno 1459 decoravit , quas moriens 1462 reliquit Successori suo Leonardo II , sub quo anno 1474 consecrata fuit Ecclesia parochialis in Benderen.

Churwaldiæ Conradò III , humanis exemptò , in Præpositum assumptus est anno 1431. Georgius III. Abbas inauguratus anno 1446. Infulis decoratus obiit 1461. A cuius morte , electio novi Abbatis ad diem 26. Aprilis indicta est. Huic actui solenni præsedit Joannes Abbas noster , assistentibus ipsi Joanne Abbatie S. Lucii , & Ulrico S. Jacobi Vallis Portaniæ Praeposito. Electores erant undecim , forma Compromissum , per quod fors cecidit in Ludovicum , eodem adhuc die à Reverendissimo DD. Joanne Nell est benedictus. Cùm anno jam undecimo ad Clavum federet , in cinceres resedit Monasterium , Ludovicus autem in maiores surrexit animos , & paulò post majori cum gloria novam stare fecit Churwaldiam , antiquâ illustriorem. Quinquenniò absolvit opus , cuius memoriam posteriori Altaris summi parti his verbis inscripsit.

O mundi Domina ! Fratrem Ludovicum de Lindavia.  
 Respice benigna Abbatem , ejusque munera digna ,  
 Chorum cum campana datum , hocque opus tibigratum ,  
 Capita deaurata IESU cum Matre tibi donata ,  
 Cum Cruce argentea Evangelii textum inspice pia .  
 Anno Milleno , quadricenteno , septuagenóque septeno .

Absoluto hoc opere , Ludovicus vitæ cursum absolvit anno 1488. domum non manu factam & æternam habiturus in cælo.

## §. IV

*De Statu Ecclesiæ Adelbergensis.*

Tacentem nuper vidimus, vociferantem hodie audiemus Adelbergam. Sub Ruperto Göteler, qui primus abbatiali titulo sub annum Domini 1423. gloriabatur, & quatuor lustris gloriose præfuit, in pace opulenta sedit Adelberga. Sub Theobaldo Liehel, Decretorum Doctore, Abbe secundo vidit quosdam exurgere fluctus, quos tamen immota mente sustinuit. Sub Berchtoldo Dyrio tandem inundaverunt aquæ super caput ejus, & naufraga periisset omnis libertas atque immunitas, ni clavum anno 1465. tenuisset Berchtoldus, constantissimi pectoris, & infraicti roboris Navarchus. Ulricus II Wirtembergiæ Comes, cognomento Adamatus, nimium quantum territorialis jurisdictionis & Advocatiæ fimbrias dilatare ausus, durissima quæque inferebat Adelbergensibus. Tulere tantisper gravamen Canonici, metuentes Principis iram; sed Berchtoldus, quid sit pavere nescius, in ipso Soli Wirtembergici meditullio Ulrici nefarios ausus ingenti animo antevertere, & profligare cœpit, provocando ad Supremum Pontificis Romani tribunal, cui uni Cœnobium suum, ab omni seculari Magistratu immune, noverat esse subjectum. Crusius, qui Appellationis, ut vocant, Instrumentum autographum vidit, reticuit totum. Nos, ne pereat, Transumptum ipsius, manu Georgii Wernlini ex Esslingen, publici Sacra Imperiali Authoritate Notarii, subscriptum (quod cum non nullis aliis documentis velut Palladium quoddam ex Trojano incendio remansit) hic ex integro adnumeramus. De verbo ad verbum ita habet:

*In nomine Domini, Amen.*

Per hoc præsens publicum Instrumentum cunctis ipsum intuentibus pateat evidenter & sit notum, quod anno à Nativitate ejusdem MCDLXVI, indictione XIV, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris Domini Domini Pauli Divinâ providentia Papæ II anno ejus III, quarta die mensis Julii hora meridiei vel quasi in Oppido Imperiali Esslingen Constantiensis Diœcesis & ibidem in Curia dicta Dominorum Adelbergensium, in inferiori solario ejusdem coram testibus & me Notario publico subscripto personaliter constitutus Venerabilis Pater & Dominus D. Berchtoldus Abbas Monasterii S. Udalrici in Adelberg Ordinis Præmonstratensis nomine sui, nec non nomine honestorum Joannis Findeſim Prioris, Wolfgangi Egen, & Thomæ Reiner Conventualium ejusdem Monasterii Adelberg suorum Consyndicorum & Procuratorum, de quorum procuratione & Syndicatorii mandato ego Notarius publicus subscriptus sufficienter informatus fui, tam nomine sui, quam etiam ut Syndici & Procuratores totius Conventus ibidem, habens & tenens suis in manibus quandam Appellationis schedulam in papiro conscriptam animo & intentione à quibusdam molestiis sibi & Monasterio per Magnificum virum Dominum & D. Ulricum Comitem in Wirtemberg & ejus famulos sibi in certis factis & molestiis in eadem schedula latinè descriptis, hucusque multipliciter illatis & ab eo perpessis, formidareque habens de futuris & majoribus gravaminibus & oneribus sibi & Monasterio suo imponendis, infligendis, & comminandis, ab eisdem gravaminibus, nec non periculis & damnis sibi & Monasterio suo quovis modo ex his emergendis, appellandi, & appellationem interponendi. Itaque idem Dominus Abbas & Syndicus nomine quo suprà per eandem schedulam inferius scriptam, quæ tunc alta & intelligibili voce periegit, juxta contenta & formam ejusdem, modo & forma quibus melius valuit ad Sanctissimum in Christo Patrem & Dominum nostrum D. Paulum S. R. E. Summum Pontificem ejusque Sanctam Sedem Apostolicam à cunctis gravaminibus sibi & Monasterio suo illatis vel inferendis appellavit, provocavit, Apostolos petiit, protestabatur & alia omnia fecit, quæ in dicta schedula appellationis infra inserta continentur, & quæ in præmissis & circa ea necessaria fuerint & opportuna, requirens me Notarium publicum subscriptum debita cum instantia, quatenus super præmissis unum vel plura publicum seu publica sibi & dictis suis Consyndicis & Procuratoribus conficerem, & confecta traderem Instrumentum & Instrumenta. Acta sunt hæc anno Domini, indictionis, Pontificatus, die mensis, hora & loco, quibus suprà, præsentibus ibidem Venerabili Viro & Domino D. Desinisteteni Præposito Ecclesiæ in Dengendorff Ordinis Sacrosancti Dominic Sepulcri Jerosolymitani, Nobili viro Hugone de Rechberg, de Hochen-Rechberg Seniore, Domino Ludovico Schleiss Conventuali in Dengendorf Constantiensis Diœcesis Notario publico, & D. Joanne Fabri Presbytero & Plebano in Steinberg Augustensis Diœcesis, testibus fide dignis ad præmissa vocatis & rogatis. Tenor vero dictæ Appellationis schedulæ sequitur per omnia, et est talis.

Cum

Cum Appellationis remedium in oppressorum seu se opprimenti timentium relevamen & subsidium ab utriusque juris conditoribus salubriter sit adinventum ; hinc est , quod Nos Berchtoldus Abbas hic præsens , Joannes Findesem Prior , Wolfgangus Egen , & Thomas Reiner , Conventuales Monasterii S. Udalrici in Adelberg Ordinis Præmonstratensis , tam nomine nostrum quam etiam nominibus Syndicatoris , procuratoriis , & autoritate totius Conventus ibidem , de qua quidem Authoritate & procreationis seu Syndicatorii mandato sufficienter & plenè per quadam Apostolica Instrumenta de super confecta authoritati , coram Venerabilibus Viris hic astantibus testibus , & vobis Notario publico , tanquam persona authenticæ dicimus & proponimus ; Quod licet nos & nostrum Monasterium per longa annorum curricula & ab antiquo , sic quod hujusmodi in memoria hominum non sunt , à Sanctissimis Romanæ Ecclesiæ Pontificibus Summis , nec non à Divis Romanorum Imperatoribus & Regibus sumus & fuimus laudabiliter & legitimè privilegiati & liberati & gratiis specialibus muniti , ultrâ illa sacra & legitima privilegia , dudum & multiformiter toti Ordini nostro à variis sanctis Patribus & Principibus concessa & tributa , quibus quidem privilegiis , licet in genere Ordini nostro concessis , illis tamen in nullis derogare , sed in specie eis frui , sicuti nos & quempiam ex nobis tangunt , de eis gaudere & potiri valemus , de quo hic publicè protestamur , in finem & effectum , quod Ecclesia nostra Adelbergensis , atque singulæ personæ in eodem Divinis cultibus & Ordini famulantes ut eorum est , nec non bona nostra nobis & nostro Monasterio quovis modo competentia per nullum brachium sæculare vigore alicujus Advocatæ , Præcipitationis , vel alterius Domini aut jurisdictionis nullo quovis modo gravari , restringi , aut aliqua obligatione ad nullam servitutem , jurisdictionem , aut servilem respectum trahi seu gravari deberemus , nomine , occasione cujuscunque talis Dominationis vel Advocationis , quocunque nomine hujusmodi dici merentur , respicientes in solam Sedem Apostolicam & Romanorum Imperatorem vel Regem , quibus juxta mentem Litterarum Apostolicarum & Imperialium eorumque Privilegiorum nostrorum & gratiarum contentarum subjecti sumus & dicimus , ut suo tempore haec omnia ad lucem & evidentiam veritatis producere nos offerimus , de quo etiam hic publicè protestamur .

Istis tamen omnibus non obstantibus Magnificus & Generosus Vir & Dominus D. Udalricus Comes in Würtemberg præfatum nostrum Monasterium nos & nostra bona in suam potentiam , dominationem seu Advocationem , ut sibi subjectos , trahere regere & subdere non veretur . Et quod magis incongruum & illicitum videtur , non attentis privilegiis , immunitatibus & gratiis , quibus nostrum Monasterium , nos , & bona nostra communiti & liberati gratiose sumus , ipse præfatus Dominus Comes consequenter hujusmodi suam jurisdictionem & dominationem , imò verius exactionem in & contra nos ostendere , exhibere , & sibi ipsi usurpare volens , & ipse & per suos nobis & nostro Monasterio intolerabilia damna expensas & gravamina inferre non formidat , in nostrum & nostri Monasterii maximum gravamen & periculum , canes suos venaticos cum famulis & servis ad venationem requisitis ad nostrum Monasterium impellendo , & ibidem ferendo per longa tempora , nec non & innumerabiles expensas per haec & grave dispendium nostri Monasterii trahendo , hospitalitates etiam cum hoc in suis clientibus & servis frequentes nobis permultum adjungendo , sic quod ed minus quæ nostri Monasterii utilitatis & honestatis esse videntur , procurare & acquirere possemus . Et quamvis hucusque pie & non sine modica causa hujusmodi intolerabilia damna & gravamina illicita sustinuerimus ; nihilominus tamen cum in his nullam alleviationem seu minorationem , sed magis aggravationem , ponderationem , & onerum majorum dorsis nostri & Monasterii nostri impositionem & tandem Monasterii nostri detrimentum & ruinam cernere valemus , convenit nobis hujusmodi periculis & damnis seu gravaminibus , quantum in nobis fuerit , obviare , & in his alleviamina subsidia , & remedia à nostris Superioribus querere , ut tandem nos de hujusmodi enormibus & injustis inflictionibus non reddamus particeps . Et quamvis hucusque juxta privilegia , Constitutiones , & ordinationes nostrorum Patrum & Superiorum & Visitatorum Ordinis nostri Præmonstratensis satis honestè , ritè , & laudabiliter vixerimus ; nihilominus tamen idem Dominus Comes , vigore non nullarum Litterarum Apostolicarum , ut ad aures nostras veridica relatione pervenit , nos per quosdam Reformatores , quorum aliqui apti , alii verò minus apti noscuntur , & nulli tamen de Ordine nostro existentes , quibus ritus Ordinis pateat , sed magis de Ordine nostro insciî , reformare & nostram conversationem , quæ à Patribus nostri Ordinis commendata fuerat , innovere & mutare intendat . In quo quidem opere incipiendo & inferendo , tanquam in quo anguis lateat , magis gravari & enormiter lædi formidamus in nobis & nostro Monasterio , & quod plus est & magis pertimescendum , nostra jura & privilegia , quibus ratione nostri Ordinis & Monasterii nostri muniti sumus , in hac re incipienda infringi

Tom. VI. Collect. Monast.

Q

&

& molestari noscuntur. Idecēd nos Berchtoldus prætactus Abbas tam nomine nostro, nec non aliorum Consyndicorum & Procuratorum nostrorum, tam nomine nostrū, quām etiam totius Conventū nostri Monasterii à gravaminibus præmissis illatis, nec non inferendis, expressis & non expressis, comminatis vel comminandis, communiter & divisim, seu quæ verosimiliter ex præmissis à quovis nostro colligi vel oriri possent nobis & nostro Monasterio, ad sanctam Sedem Apostolicam Sanctissimam D. N. Paulum PP. in Dei nomine his inscriptis provocamus & appellamus, & apostolos petimus tales, quales de jure possumus & debemus, si quis sit, qui nobis dare velit & posse, primō, secundō, tertīo, instanter, instantiūs, instantissimē, subjicientes nos & dictum nostrum Monasterium, omnia bona nostra, & omnes nobis adhærentes seu adhærere volentes & eorum bona tuitioni & defensioni ejusdem Sedis Apostolicæ. Et protestamur, quād hanc nostram appellationem, si opus fuerit, volumus insinuare & notificare eis, quibus de jure debemus, & alia facere volumus, quæ pro justificatione præsentis appellationis requiruntur & incumbunt facienda, ut est moris atque stili, salvo nobis jure hujusmodi appellationem mutandi, minuendi, corrigendi, aliam vel alias de novo faciendi, & interpretandi totiens quotiens visum fuerit expedire, vel esse opportunum, & aliis remediis juris nobis semper salvis &c.

Non fortius puto pro domo sua peroravit Tullius. Sed videamus plura, quæ commendant Berchtoldum, Abbatem boni communis promovendi studiosissimum, & Ordinis sui Zelo planè exaltuantem. Ejus industria precarii Ordinis nostri Codices varie sparsi mendisque plurimis scatentes in Ordinem reducti, & Argentorati, ubi tum primum Germani typos invenerant, nitidissimē excusi fuere, quibus per annos fat multos Suevia nostra usā fuit. Piis item conatibus Berchtoldi Sanctimoniales Adelbergenses ad oppidum Lauffense translate sunt, Pontificiis desuper tabulis impetratis. Paucis: quiescere Zelosus Præfus nec voluit, nec potuit, donec requiem æternam dederit ei Dominus anno 1501, ad olympum translatus, postquam per septem olympiades & annos tres sudore & labore disfluens, quasi in olympi stadio cucurrerat. Extat ejusdem etiam hodie inter Seftarios memoria in Parochiali Ecclesia Hundholz, quam à fundamentis excitārat, ubi in modum precantis ante Virginem Deiparam genuflexus, hæc effatur.

Berchtoldus, cognomine Dyrr, Venerabilis Abbas

Hanc tibi Christe sacram condidit Ecclesiam,

Et rogat, ut clemens intrantis vota popelli

Exaudire velis. Dic bone Lector, Amen.

Annalem numerum si quis fortasse requirat,

Hunc intrà pīstum versibus absque legat.

MCCCCXC.

## §. V.

### *Annotationes.*

**C**allistus III. antequam Petri Cathedram ascenderat, dicebatur Alphonsus Borgia. Natione Hispanus, in utroque Jure versatissimus, aliquādiu Alphonsi IV. Arragoniae Regis Secretarium egit. Sub Martino V. reliquias schismatis, quod Clemens VIII. fovebat, omnes ē medio, ipsum verò ad majora tulit Martinus, denominando Episcopum Majoricensem. Quo tamen honore recusato ab Eugenio IV purpuratorum Patrum Collegio adscriptus, & Valentiae Episcopus est consecratus. Nullas unquam admisit alias præbendas, dicere solitus; suam sibi Virginem Sponsam sufficere. Propè octogenarius post mortem Nicolai V. à quindecim Cardinalibus Romæ in Pontificem electus est anno 1455, conformiter oraculo Vincentii Ferrerii, quem postea in Sanctorum numerum retulit. Sedit in Pontificatu annos tres, menses quatuor, à pietate in pauperes, liberalitate in Principes, Zelo hostes Christiani nominis extirpandi commendatus.

Fridericus III, Romanorum Imperator, orbi natus est ex Ernesto Austriæ Duce, & Cunigunda filia Ducis Nassoviensis. Verus Imperii Romani Fabius, in agendo minimē præceps, cunctando restituit rem. Hostes, quōs potentia non poterat, debellare novit prudentiā. Imperator verè & semper Augustus, Augusto Imperatorum primo annis vitæ undecim superior, regiminis solō triennio inferior erat, Cæsar plus quam jubilæus, nempe tribus suprà quinquaginta annis, de Roggenburgo optimè meritus.

Pri-

Primarum Precum, quales Fridericum Joanni Abbatii nostro fecisse diximus; naturam eruditio Lectori non explicamus. Illarum usus olim frequentior, nec hodie obsoletus est. Testes habemus complura Monasteria, quæ hujuscemodi præbendariis 30, 40, vel 50 florenos annuatim solvunt.

Præpositus ad Insulas Wengenses Ulmæ, cui à Callisto III commissio super restitu-  
tione bonorum Roggenburgo male abstractorum demandata est, vocabatur Conradus,  
vir & generis nobilitate & doctrinæ præstantiæ insignis. Patrem habuit Joanem de  
Plintheim, Matrem Annam de Liechtenstein. Electus in Præpositum anno 1445, &  
à Concilio Basileensi, cui interfuit, confirmatus, Ecclesiæ sive per annos 19 præfuit  
& profuit, tum denique, quasi non haberet amplius, quod ageret, animam agens.  
Quod nomen Decano S. Mauritii Concommisario fuerit, ex manco Décanorum ca-  
talogo, quem affert P. Kham 2. part. Colleg. ne quidem suspicari potuimus.

Super eo, quod Berchtoldus Dyrius Sanctimoniales de Adelbergensi Cœnobio ad  
oppidum Lauffense transtulisse dicatur, pluribus mihi convenientius est Lector, ut ora  
loquentium iniqua obstruam, videlicet Casparis Bruschii, Nicolai Reüsneri, & id ge-  
nus malæ notæ Scriptorum, qui propter ædes Virginum Deo viventium Ascete-  
riis nostris olim contiguas petulanti calamō Præmonstratenses proscindunt, ut patebit  
inferius. Igitur qui rebus Ecclesiæ evolvendis vel tenuem locat operam, facile depre-  
hendet, cum ipsis adeò Virorum cœnobiosis sacra Virginum contubernia surrexisse. O-  
xirinchum quidem Thebaidis urbem ita Religiosis cœtibus abundasse memorat Evagri-  
us a) ut Monachorum decem, virginum verò viginti millia numerarentur, qui in cer-  
tas Clases divisi juges & pervigiles diu noctuque laudes Deo concinere solebant, tanto  
quidem urbis illius commodo, ut una velut Ecclesia fieret, & suum intrâ se cœlum  
quodammodo haberet. Trausit mos iste ad illud etiam Religiosorum genus, qui sub  
nomine Clericorum Regularium à S. Augustino instituti mixtum vivendi modum profi-  
tebantur; iis enim contiguum Sacrarum Virginum Collegium suffecisse, certisque legi-  
bus firmasse constat ex Epistola 109 ad Sanctimoniales Hyponenses. Ejus generis fuit  
celeberrimum olim Franckenthalense utriusque sexū Cœnobium, quod à profugis è  
Belgio Calvinistis occupatum, factum est habitatio Spiritus immundi. b) Atque ex hac  
plantatione accepti non solum Virorum, sed & Virginum palmites longè latèque diffu-  
si plerasque Occidentis Ecclesiæ uberrimo fructu locupletarunt. Sed & in Anglia hanc  
consuetudinem viguisse, arguento sunt Cœnobia complura, quorum uni S. Adelber-  
ga præfecta ancillarum Deo devotarum catervas à virorum contubernio secretas, uti Venerabi-  
lis Beda c) refert, mater & nutrix fovebat; idque antiquitus præstantissimo Ordini S.  
Benedicti solenne fuisse, ut virorum Monasteriis jungerentur Conventus Sacrarum Vir-  
ginum, testatur Felix Fabri. d)

Cæterum cùm temporis lapsu insigne illud Clericorum Institutum luxari cœpisset,  
tum alii, tum præprimis S. P. N. Norbertus arctioribus illud repagulis obfirmare ag-  
gressus, sequiore tamen sexum adeò non exclusit, ut sub eadem pænè testa Præmon-  
stratensis admirerit. Constat id ex quadam Cœlestini II e) ad B. Hugonem Abbatem  
Præmonstratensem Bulla, Romæ data, solo nimis ambitu murorum Virginum habi-  
tationem à viris secretam fuisse, ita ut nullum propè reperire fuerit Ordinis nostri Cœ-  
nobium virile, cui non è vicino Sacrarum Virginum Domicilium responderet.

Eundem mōrem Primores nostros, vivente adhuc S. P. Norberto, Roggenbur-  
go illatos observasse, argumento fuerunt rudera, quæ longa Majorum traditione  
remanerunt ex diruto Virginum domicilio, quod solius Cœmeterii area separabat à  
virorum habitaculis. Hinc frequentes illæ in Necrologio nostro commemorationes  
Willipurgis, Adelheidis, Elisabethæ, Gertrudis &c. Sororum nostrarum. In Rhœ-  
tiam Transalpinam & Würtembergiam Roggenburgenses postea, ubique sacras Velatis  
parthenones constitüre. Curiæ quidem è regio cœnobii S. Lucii in ameno colle,  
qui hodie ad S. Hilariam dicitur: Churwaldæ ad S. Nicolaum, Adelbergæ ad D. Virgi-  
nem Dei parentem. Atque iis quidem aliisque locis convenientibus ad pulchritudi-  
nem tam sanctæ & honestæ Religionis castis matronis & viduis, sanctis & Deo devo-  
tis Virginibus velut pretiosis lapidibus, ex duobus virorum & mulierum parietibus  
uno angulari lapide conjunctis jucundum Deo constructum habitaculum visebatur.  
Et quoniam in Choro & Ecclesia non cantabant, sed in silentio tantum orationi vaca-  
bant;

a) apud Baron. ad annum Christi 215. b) Gabr. Pennot. L. 2. Hist. Canen. c. 29. n. 5. c) L. 4.  
Hist. Angl. c. 8. d) L. 2. Hist. Suev. c. 12. e) A. C. 1143. 8. Idus Decemb.

„bant, psalteria sua legentes, & Horas Canonicas vel Beatæ Virginis Mariæ secretò „cum omni humilitate & devotione dicentes; commorabantur seorsim ejusdem Ordinis „Sacerdotes & Clerici, Viri probati & Religiosi, qui eis in Divinis officiis servientes, „confessiones earum per fenestras audiebant, & eas certis temporibus verbis divinorum „Scripturarum instruere studebant. Hæc totidem penè verbis Præmonstratensium Instituta describens, complexus est Jacobus à Vitriaco Cardinalis, f) qui, cùm Apostolicæ Sedis per Germaniam, Galliam, & Syriam (quò sese Præmonstratenses jam tum numeroſa prole effuderant) legatione fungeretur, & primo post Ordinem nostrum à S. Norberto fundatum sæculo vixerit, credendus est melius novissime sacros Instituti candidi ritus, quām Caspar Bruschius, Nicolaus Reußnerus, & similis farinæ Scriptores, qui, cum omne, quod pium est, vellicare soleant, etiam in Præmonstratenses suum exacuerunt calamum. Et quidem Bruschius g) Superiorum Dei Cellam, inclytum Ordinis nostri apud Herbipolenses Cœnobium describens, id factum afferit, ut ne Monachis decesset Costa, quam ademptam primo humani generis parenti, & postea cum multo lucro redditam eidem sciebant h) Reußnerus verò ejusdem Bruschii Anasianum iter describens plurimus est in exigitando S. Salvatoris seu S. Brigittæ Instituto (hodie adhuc utr.ūque sexū Religiosos solo muro discretos admittit) & plures columnias confert, quibus ad ejus generis cœnobia solo æquanda principibus qui non erant catholicæ Religionis stimulos addat.

Sed non mirum, hosce Veneris nepotes ex amissi ad carnem factos, non percipere ea quæ sunt Spiritus; quippe minime existimandum est, S. Norberto aliisque Religionum Fundatoribus aliud curæ cordique non fuisse, quām ut hisce velut præficiariis sequacium suorum castitatem voto firmatam expugnarent, aut sufficientibus ad finem mediis eos destituerent. Perpetuus ille carcer, cui Vestales Sacrae Deo æternū victuæ includebantur, nulli virorum pervius, clathri illi ferrei, fenestræ cancellatae, quas non attingebat nisi sola Sacerdotis auricula, excipiendis conscientiæ cordibus admota, frequentes Sacrorum usus, orationum gemitus, animorum suspiria, & alia id genus ex Ordinis instituto peragenda plus satis immunes reddebant ab omni Sorde. Illud non negavero, Ordinis fervore cum tempore, quod omnia consumit, intepescente, improvida alicubi securitate torporem & negligentiam aliquam irrepsisse, atque fenesris illis in Ostia conversis (verba reddo Cardinalis Vitriaci) dormiente Oliarid in fervore diei Isthosetbum percussian esse in inquine, & dum arca sentinam percussit inimicus, aquis aperiè in inferiora intrantibus, multos utriusque sexū in limo submersos periisse. Verum ubi Patres nostri experimento cognoverunt (ait idem Purpuratus Author) illam B. Hieronymi sententiam, si cian viris fœminæ habitent, viscarium non deerit dixboli; germinant fœminæ cum viris habitantes spinas, & arcana mentium acuto mucrone percutiuntur, nec possunt tuto corde habitare cian Domino, qui fœminarum accessibus copulantur; idcirco prudenter in generali Capitulo unanimiter firmaverunt, quod fœminas de cetero non essent recepturi. Hæc ad omnem calumniam prævertendam trecentis admodum annis ante Bruschium & Reußnerum scripsit Vitriacus, ut noveris Lector, nunquam defuisse in Ordine nostro, qui omnem ab ipso mali speciem amolirentur.

Cæterum id generalis Capituli Decretum, inter communes postea leges relatum k) hodie viget, ita ut nulla mulier ad idem cum viris eti discretum contubernium admittatur in foro, quamvis non excludantur ab illis locis, quæ ab antiquo Sororibus preces suas dicentibus erant deputata, ita ut non minus hodie Virginum, quām Virorum plurima per Hispaniam, Galliam, Germaniam Ordinis nostri Cœnobia censeantur. Decreto Capituli generalis, quod indicavimus, etiam in Provincia nostra exequendo primus, quantum scio, manum admovit Conradus Præpositus Marchtallensis, severò editō Sanctimoniales à Cœnobii sui limitibus proscribens, l) qui propterea ab eodem Bruschio & Martino Crufio rerum Suevicarum consarcinatoribus, & milie fabularum architectis miserè vapulat, tanquam homo sequiori sexui minus propitius. Scilicet quod Præmonstratensium cum Sacris Virginibus contubernium paulò ante damnaverant, nunc quasi crudeliter dirutum vociferantur educati saltitantes inter capreas Menalcae, sibilanti in tenebris Floræ, advocanti sub crepusculo Canidiæ, lenocinanti Agapitæ, focariis, Lydiis, Glyceriis devotissimi Mystæ. Ast cursum non retardat Luna, latrante molosso. Conradum alii aliisque Provinciæ Patres secuti, Parthenones vel omnino sustulerunt, vel ad alia loca transtulerunt, quos inter Berchtoldus

f) C. 22. Hist. Oriental. g) Chronolog. Monast. Germ. b) L. f. var. peregrinat. n. q. i) loc. cit.  
k) Stat. dist. 4. c. 14. l) in descript. Monast. Marchtall.

dus Vestales suas Adelbergenses Oppido Lauffensi intulit, ut ibi consummarent cursum suum, & Sponso cum lampadibus & oleo obviā exirent. Sanè hoc in opere operam & oleum perdidisse Berchtoldum, nemo prudentius afferet.

## C A P U T II.

## Udalricus Pöller Abbas II.

J. I.

*Transfigit cum subditis de Nordholz super lignatione & servitiis  
præstandis. Ejus Mariana devotio, Resignatio & Mors.*

Sublatō è vivis Joanne, cujus regimen omni ex parte fuerat nunquam non fortunatissimum, in Abbatem secundum anno 1474 renuntiatus est Udalricus Pöller, natione Suevus, patria Gynzburgensis. Magnum, dum vixit, ab insigni pietate & doctrina eminenti nomen habuit, à pace, cujus conservandæ studiofissimus erat, non immerit pacificus nominandus. Eam ob rem ut, exclusis procul turbis, in opulentia requie annos transigeret, primo regiminis anno cum Nordholzensibus super quibusdam punctis transegit. Erant illi subditi sub Joanne recens adscripti Monasterio. Cùm autem, ut habet biverbum, forma regiminis mutetur, ubi nova priori brachio succedit manus, neceslum videbatur, quid & quantum à subditis exigat Dominus, & quæ fideles servi sint habituri. Conventum præprimit ac decisum est, quæ ligna cedere, colligere, ad fabricam applicare eisdem liceat; dein quas annuatim operas præstare, sub quibus conditionibus alienare bona possint. In arbitrum Transactionis electus Würtembergæ Comes Eberhardus, videt omnia tractari pacifice, &, quæ tractata fuerant, illis perpetuum firmitatis robur autoritate sua superaddidit. Aliud Oeconomia procul dubio laudabilissimè administratæ argumentum de Ulrico non suppetit, sed plura lego, ex quibus insignem Abbatis pietatem colliges.

Illam ex omnibus dilexit, quæ Mater pulchrae dilectionis dicitur & quam quisquis amore deperit, perire non potest. Totum se illius servitio addixit, probè gnarus, huic Domini servire, esse regnare. Cùmque triangulare peclus sacratas non caperet flamas, in omnem eruperunt angulum, ut igne sanctissimo conflagrarent universa. Jam ante Ulrixi tempora Parthenium viguerat Sodalitium; at nescio quæ tepiditatis aquæ extinxerint charitatis ignem. Modicus sub cinere duntaxat gliscebat calor, qui ut in novas exsurgeret flamas, ligna supposuit Ulrixi inflammatissimus ardor, effecit que, ut Maria, si non plures certè magis servidos numeraverit Sodales. Præterea non contentus, sub patrocinio B. V. Mariæ gloriose in cælos assumptæ Basilicam nostram stare, ejusdem Dilectaæ suæ honoribus Sacellum privatum erexit, voluitque, ut singulis Sabbathinis diebus, post Vesperas ex more Ordinis decantatas, in eo Marianum diceretur Rosarium, dato ad hoc pietatis opus publico Campanæ signo, quatenus extranei quoque præsentes seie sifterent, corde & ore gloriosam cæli Dominam honoraturi, aut certè, si labores manuum pedem sifterent, domi suæ poplite lunato pulchram ut Lunam septies salutarent verbis Angelici Legati. Privatas autem Præfulis pientissimi devotiones enumerare quis valeat? ajunt, Apelli nullam fluxisse diem sine linea, nos tutò credimus, Ulricum non præterisse horam, qua statas preces non dixerit Mariæ, à qua nec separari voluit mortuus, utpote qui etiamnum vivus sepulturam sibi elegit in Sacello Virginis. Fortis ut mors in dilectione Ulricus fortiorum se credit mortem, à cuius præambulone, seniò, debilitari jamjam vires sensit. Ut ergò fortius validiusque certaret in ultimâ luctâ, onus omne, quod reluctans in humeros suscepérat, sponte sua depositus in manus Joannis, Reverendissimi Abbatis Urspergensis, præsentibus Henrico Rothensi & Berchtoldo Adelbergensi Abbatibus. Trienniò voluntariæ Resignationi supervixit, expectans in amata solitudine sua, quando mors vocaret ad certamen. Sed cæcam fecellit Ulricus, & placidissimè obdormivit in ipsa Vigilia S. Joannis, ut nempe securius ad cælos penetraret, si ducem aut comitem viæ haberet Præcursum Domini. Lapis sepulchralis ejus obitum succinctè recenset his verbis:

Tom. VI, Collect. Monast.

R

Annò

Annō Domini MCCCCLXXXIII

Vigilia Sancti Joannis Baptiste obiit

Reverendus Pater & Dominus Ulricus Pöller,

Secundus Abbas hujus Monasterii,

Cujus anima requiescat in pace.

### §. II.

#### *Annotationes.*

**E**berhardus Comes Würtembergiae & Montis Pelicardi, sub cuius autoritate Ulricus cum subditis de Nordholz transegit, natus est anno 1445. adolescens Naucleri viri ævð suð celeberrimi curæ & informationi traditus, insignes in scientiâ progressus fecit, animo tamen ad equestria semper magis inclinante. Annō ætatis suæ decimō quartō 11. Decembris à Friderico III. Romanorum Imperatore Majorenne, & regendo Würtembergiae Comitatui habilis declaratus est. Anno 1468. sacra Palæstine loca invisit, & Jerosolymis eques creatus, tum à Romano Pontifice Rosâ aureâ donatus domum rediit. Tubingæ celeberrimam ad nostra usque tempora Universitatem erexit anno 1477. à Maximiliano I. Imperatore, quem à Belgis captum Brugæ cum aliis in libertatem denudò affluerat, aureo Vellere, demùm in Comitiis Imperialibus Wormatiaæ anno 1495 primus titulo Duci fuit condecoratus. Obiit anno 1496. & sepultus jacet Tubingæ.

Joannes Abbas Urspergensis cognomine dicebatur Riebler, eratque numero XXXV, Infulatus V. Prædecessorum suorum culpas eluisse, & ruinas resarcisse scribitur. At ne majora auderet & faceret, podagrâ vehementer obfistente, proprio motu cessit Abbatia.

Henricus, cognomento Henlin, Abbas Rothenensis XXVI, Capitulo Generali ad S. Martinum Laudunensem sub Huberto Abate Præmonstratenſi anno 1481 congregato interfuit, & Fraternitatis Litteras, quales antea à Cardinale Marco Patriarcha Aquileiensi, & Sedis Apostolicæ Legato impetraverat anno 1474, obtinuit pro iis, qui ad reparationem & conservationem ædificiorum, Calicum, librorum undò incendiò consumptorum adjutrices porrigerent manus. Ad manes abiit 7. Martii anno 1501.

De Berchtoldo Abbe Adelbergensi consule Caput præcedens.

### C A P U T III.

#### Georgius Mahler, Abbas III, primus Infulatus.

##### §. I.

#### *Georgius à Sede Apostolica impetrat Confirmationem omnium Privilegiorum, & eorum Conservatores.*

**A**bbatem in Georgio Mahler pingimus, cui nec primum similem visa est nec habere sequentem Imperialis Canonica Roggenburgensis terrâ jaëtatus & altô, altior omni decumano fluctu velut Marpesia cautes stetit. Georgio Ulma Civitas Imperialis dedit Cunas, eminens doctrina Juris utriusque lauream, Ecclesia Roggenburgensis annulum, Fridericus Romanorum Imperator Consiliarii intimi titulum, & Roma Infulam. Eximia in rebus agendis dexteritas fecit Monasterio nostro utilissimum, merita orbi notissimum, suavissima morum honestas omnibus amabilem, invictum animi robur solis hostibus terribilem. In Abbatem anno 1481 electus, primum vigilantiae, quam pro juribus Ecclesiæ suæ fartsis testisque conservandis habebat, argumentum dedit secundo sui regiminis anno, quo Privilegiorum, ab Innocentio Papa IV confirmatorum, novis à Sigismundo & Friderico invictissimis Romanorum Imperatoribus augmentatorum iteratam Confirmationem, & eorum Conservatores libello supplici à Sixto IV Pontifice Maximo petiit, ac impetravit. Tenor Pontificiaæ Bullæ est sequens:

Sixtus Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Quoniam in his, quæ felicem Monasteriorum & Religiosorum locorum quorumlibet Statum & augmentum concernunt, Nostra jugiter versatur intentio, ea propter his, quæ ad hoc à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris emanasse comperimus, ut firma percep-  
tuò

tuō & illibata persistant, libenter, cūm à Nobis petitur, Apostolici muniminis adjicimus firmitatem. Dudum siquidem à felicis recordationis Innocentio Papa IV Prædecessore nostro emanarunt Litteræ tenoris subsequentis: Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, Dilectis Filiis Præposito Ecclesiæ S. Augustini de Roggenburg, ejusque Fratribus tam præsentibus quām futuris. Regularem vitam professis in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus convenient apostolicum adesse præsidium, ne fortè cuiuslibet temeritatis incurſus aut eos à proposito revocet, aut robur, quod absit, Sacræ Religionis infringat, ea propter Dilecti in Domino Filii, vestris iutis postulationibus clementer annuimus, & Ecclesiam Sancti Augustini de Roggenburg, Augustensis Diœcesis, in qua Divino estis obsequio mancipati, sub Beati Petri & Nostra protectione fuscipimus, & præsentis Scripti privilegio communimus. Inprimis quidem statuentes, ut Ordo Canonicus, qui secundum Deum & Beati Augustini Regulari in eadem Ecclesia institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque Bona, quæ eadem Ecclesia in præsentiarum justè & Canonice possidet, aut in futurum concessionē Pontificum, Largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma Vobis vestrisque Successoribus & illibata permaneant: in quibus hæc duximus propriis exprimenda vocabulis, locum ipsum, in quo præfata Ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis, villam de Innestetten, & de Breitenthal, de Schiesten, de Monushoven, & de Ebershusen, vilas cum pertinentiis earundem, de Grosriedt, Albenbere & de Steinbere, villas cum pertinentiis earundem, nec non & Ecclesias, alias possessiones vestras cum pratis, terris, vineis, nemoribus, usuagiis & pascuis, in bosco & piano, in aquis & molendinis, in viis & semitis, & omnibus alijs libertatibus & immunitatibus suis. Sanè prædiorum vestrorum, quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, de quibus aliquis haec tenus vos spoliavit, five de animalium vestrorum nutrimentis, nullus à Vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis Clericos vel Laicos, liberos & absolutos è Sæculo fugientes ad Conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere: prohibemus insuper, ut nulli Fratrum vestrorum post factam in Ecclesia vestra promissionem fas sit sine Præpositi sui licentiâ, nisi arctioris Religionis obtenu, de eodem loco discedere, discedentem verò absque communium Litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Cum autem Generale Interdictum terre fuerit, liceat vobis clausis januis, Excommunicatis & Interdictis exclusis, non pulsatis campanis, dummodo causam non dederitis Interdicto, suppressa voce Divina Officia celebrare, Chrisma verò, Oleum Sanctum, Consecrationes Altarium, seu Basilicarum, Ordinationes Clericorum, qui ad Ordines fuerint promovendi, à Diœcesano fuscipietis Episcopo, siquidem Catholicus fuerit, & gratiam & communionem Sacrofancæ Romanæ Sedis habuerit, & ea vobis voluerit sine prævitate exhibere. Prohibemus insuper, ut infra fines Parochie vestrae nullus sine assensu Diœcesani Episcopi & vestro Capellam seu oratorium de novo construere audeat, salvis Privilegiis Pontificum Romanorum. Ad hæc novas & indebitas exactiones ab Archiepiscopis, Episcopis, Archidiaconis, seu Decanis, alijisque omnibus Ecclesiasticis, Sæcularibusve personis, à vobis omnino fieri prohibemus. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotione & ultimæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi fortè excommunicati vel interdicti sint, aut etiam publici usurarii, nullus obsistat, salvâ tamen justitiâ illarum Ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumuntur.

Decimas præterea & possessiones, ad Jus Ecclesiarum vestrarum spectantes, quæ à Laicis detinentur, redimendi, & legitimè liberandi de manibus eorum, & ad Ecclesias, ad quas pertinent, revocandi, libera sit vobis de Nostra auctoritate facultas. Obeunte verò Te nunc ejusdem Loci Præposito, vel tuorum quolibet Successorum, nullus ibidem qualibet surreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem Fratres communi consensu, vel Fratrum major pars consilii senioris secundum Deum & B. Augustini Regulam providerint eligendum. Paci quoque & tranquillitati vestrae paterna imposterum sollicitudine providere volentes, Auctoritate Apostolica prohibemus, ut infra clausuras Locorum, seu grangiarum vestrarum, nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem retinere, capere, interficere, seu violentiam audeat exercere. Præterea omnes libertates & immunitates à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus Ecclesie vestrae concessas, nec non Libertates & Exemptiones sæcularium Exactionum à Regibus & Principibus, vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas Auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis Scripti Privilegio communimus. Decernimus ergò, ut nulli hominum omnino liceat præfata Ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones afferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integrè conserventur eorum,

pro quorum gubernatione & sustentatione concessæ sunt, usibus omnibus profutura, salvâ Sedis Apostolicæ Auctoritate, & Diœcesani Episcopi Canonicâ justitiâ. Si quæ igitur in futurum Ecclesiastica Sæcularisve persona hanc Nostræ Constitutionis paginam sciens contrâ eam temerè venire tentaverit, secundò tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, remque se Divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscet, & à Sanctissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri JEsu Christi aliena fiat, a que in extremo examine districtæ subjaceat ultiōni. Cunctis autem eidem Loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipient, & apud districtum Iudicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Datum Lugduni per manum Magistri Marini Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vice-Cancellarii duodecimo Kalendas Julii, Indictione sexta, Incarnationis Dominice anno millesimo, ducentesimo quadragesimo octavo, Pontificatus verò Domini Innocentii Papæ IV anno quinto. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte Dilectorum Filiorum Abbatis & Conventus prædicti Monasterii, olim per Præpositum soliti gubernari, petitio continebat, ipsi desiderent Litteras prædictas tunc Præposito & Fratribus dicti Monasterii concessas, ac omnia & singula in eis contenta pro illorum subsistentia firmiori etiam à Nobis Auctoritate Apostolica confirmari & approbari. Nos igitur cupientes, ut Litteræ prædictæ eò firmius illibatae persistant, quod sæpius fuerint Apostolicae Sedis præsidio communitatæ, eorundem Abbatis & Conventus in hac parte Supplicationibus inclinati, Litteras prædictas ac omnia & singula in eis contenta, nec non & alia bona, quæ postea Abbas & Conventus, seu tunc Præpositus existens præfati adepti fuerint, ac etiam Litteras, Exemptiones, & gratias quascunque à Regibus & Principibus, ac etiam ab inclite memoria Sigismundo Romanorum Imperatore semper Augusto, super gratiâ & privilegio utendi Civilegio in Oppido Ulm, Constantiensis Diœcesis, quo haec tenus per centum annos & ultrà pacifice & inconcussè præfati Abbas & Conventus usi fuerunt, nec non ab aliis Fidelibus, & præsertim à Charissimo in Christo Filio nostro Friderico moderno Romanorum Imperatore semper Augusto eisdem Abbati & Conventui ac Monasterio rationabiliter etiam in genere vel specie indultas & concessas, quatenus sunt in usu, Auctoritate Apostolica ex certâ nostrâ scientiâ tenore præsentium approbamus & confirmamus, supplentes omnes & singulos, tam juris quam facti, defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem. Et nihilominus Venerabili Fratri Episcopo Civitateni, & Dilectis Filiis, Abbatii Monasterii S. Galli, Constantiensis Diœcesis, & Decano Ecclesiæ Constantiensis per Apostolica Scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, præmissa omnia & singula, ubi & quando expedit, fuerintque de super requisiti, solemniter publicantes, ac eisdem Abbatii & Conventui efficacis defensionis præsidio assistentes, non permittanteos contra præinsertum Litterarum tenorem à quoquam quovis quæsito colore molestari, seu quomodolibet perturbari. Contradictores, molestatores & perturbatores quoslibet & rebelles per Censuras Ecclesiasticas, atque alia juris remedia, Appellatione postposita, compescendo: invocatò etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sacerularis, non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, nec non omnibus illis, quæ idem Innocentius Prædecessor in suis Litteris voluit non obstare, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdicî, suspendî, vel excommunicari non possint, per Litteras Apostolicas non facientes plenam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Approbationis, Confirmationis, suppletionis & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominice Millesimo quadringentesimo octuagesimo secundo, decimo Kalendas Junii, Pontificatus nostri anno undecimo.

Jo. Horn.

L Grifus.

Jac. de Bona parte.

§. II.

*Georgius Abbas Fæderi S. Georgii, Suevico postea dicto, se associat.  
Georgio Bavariæ Duce per Ludovicum de Habsperg occupante & diripiente Roggenburgum, Romæ Monasterii causam strenuè agit. Inde redux armata manu Bavaroë aggreditur, & expellit.*

Abbatem animi infraicti jam omnino videbimus militem cataphractum, pro Monasterii juribus tanquam pro aris & focis decertantem. Quanta Georgius Bavarorum Dux mala intulerit Sueviæ nostræ, Historia olim decantata fuit, hodie deploranda est. Cum abundaret divitiis, harum pedissequis non caruit vitiis, præprimis ambitione turgidus. Oppignoratus eo tempore fuit Marchionatus Burgoviensis Episcopatui Augustano: illum datus pretio ad se redimens Georgius primò pedem, dein violentas etiam manus intulit Imperio. Non vacat pluribus recensere, quæ Maximilianum Romanorum Regem inter & Georgium dissensiones fuerint, nosse sufficiat, fœdus surrexisse Sueviæ, ut conjunctis manib[us] Georgii armatum retunderetur brachium, contunderetur fastus. E re sua duxit Georgius noster, ut periculo caput subducere, nomen dare Fæderi. Sed qui charybdin vitare laborabat, cum primis incidit in Scyllam.

Ludovicus de Habsperg, Duxis Georgii in Oppido Weissenhornensi Gubernator, illorum de Ciasse Minister fuit, qui, antequam sonent classica, manus iniquitati ministrant, & omnem malorum iliadem detonant in Apollines, qui stant pro Troja. Is ab omni labe sese immunem credidit, si labefactaret Immunitatem Roggenburgensem, & torquem aureum fidelitatis, suæ præmium sibi promittebat, si ferreum injiceret Abbat. Verum subodoratus Georgius summum evasit incendium, & convulsatis rebus pretiosioribus, Ulmam profugit. Adebat illicet Ludovicus, nescio dicam insanus an maniosus, Imperiale Roggenburgum subito occupat, equitibus suis quævis diripiendi facta potestate. Neque hic stetit effrenata Gubernatoris licentia, quin majora &, quæ libent, sibi licere ratus institit, ut in persona sua fidelitatem Duci Bavariæ subditi jurarent, nempe hosti suo juratissimo. Tum enimverò agnus innocens non balare, sed ululare auditus est, dum leo pecus simul & totondit & deglubit, Ludovico gravissima servitia impnendo, tributa varia exigendo. Exul interea Abbas, si tamen exulat vir fortis, Romanam venit, ibique Sixto IV. Pontifici maximo vividæ, quâ pollebat, eloquentiæ invensoris artes, injurias, ambitionem explicat, Apostolicam adjurans benignitatem, potentiamque implorans adversus insidiatorem libertatis Ecclesiasticæ. Justissimæ causæ Patronum fortem & facundum miratur Pontifex, plenamque concedit potestatem, ferdæ in Bavarum & ejus astellas Excommunicationis.

Hoc armatus fulgere, & in Sueviam redux, ad maxima quæque stimulos sibi succrescere sensit, Friderico Romanorum Imperatore calenti foco ligna subjiciente. Hic Georgium per litteras animabat, ut, quamvis Ludovicus de Habsperg in dedecus & contemptum Cæsareæ suæ Majestatis, Jurisdictionis, & supremi Dominii Roggenburgense Monasterium occupasset, ac subditos ad Juramentum fidelitatis Georgio Duci præstandæ compulisset, prædicto Ludovico in nulla prorsus re sese subjiceret, sed Dominum suum venerari pergeret Imperatorem, utpote supremum Advocatum & Defensorum Ecclesiæ, & cui Roggenburgum quod ad temporalem Jurisdictionem immediatè subjaceret. Idque præcipere se inquit Fridericus sub pena amittendæ gratiæ Cæsareæ, & Privatione omnium Privilegiorum, immunitatum, reddituum, censum, vestigium. Morem fine mora Imperatoris Mandato gessit Georgius Abbas, & copiosum sub signa sua coire fecit militem, armata manu pro recuperanda Monasterii libertate pugnaturus. Apparatum belli præcessit interpellatio geminata. Detentorem Bavarum de restitutione appellat. Illudit minacibus litteris Dux Georgius, sed illusorem ludum orbi fecit Georgius Abbas, qui disploso Excommunicationis fulmine in aciem prodire jussit militem. Cum Pars quasi ex insidiis pugnans non paucos Bavarorum interficerent, Abbas forti Ulmensium cinctus catervâ ipse Dux belli aggreditur Ducem. Signis felicibus concertat, & Bavarum, interveniente Suevorum fædere, in Locum suum redire coegerit. Apud Confederatos, quorum & ipse Pars magna fuit, postea conquestus de damno Ecclesiæ suæ illato, Judicium Cæsareum, cui Augustæ Vindelicorum Celsissimus Princeps & Episcopus Eustadianus Imperatoris nomine præfederat, imploravit, atque, cum Partes suas strenuè egisset, causam obtinuit, Parte adversa ad multam pecuniam, quæ damnum refarciret, condemnata.

Sed omnium pessimè Roggenburgi direptio cessit Ludovico de Habsperg ; quippe 23. Januarii 1488. ad omnes Electores, Duces, Principes, & Status Imperii tam Ecclesiasticos quam Sæculares Oeniponti exiit edictum à Cæsare, in quo Ludovicus, eò quod, insuper habitis Comitiorum Francofurtensium Decretis, Roggenburgum invaserit, Advocatæ Cæsaræ & Imperii violenter subtraxerit, banno superiori vapulat, cum addito, eidem pœnæ omnes subjacere, qui quovis modo Habspergio asylum auxiliūmve daret. Insuper indemnitatí illorum consulitur, qui vel bona Ludovici diriperent, vel omnino Ludovicum occiderent. Et sic meritò illi, qui fastuosè jus dixit aliis, interdictum est aqua & igni, ut non haberet, quo calefaceret ferrum innocentí crux.

## §. III.

*Georgio rebelles se & inobedientes exhibent Religiosi, sed auctoritate Cæsaræ ad obedientiam redeunt.*

Pulsis loco Bavaris, in propria venit Georgius ; at sui eum non receperunt. Et pro Deum immortalem ! quis unquam talia somniasset, ipsissimi illi in perniciem suam vigilabant, pro quibus, ut dormirent securi, tanta pertulit Georgius. Filios intelligimus Religiosos, quorum aliqui in Oppido Weissenhornensi commorantes, etiam vocati venire solebant. Alii quidem domi remanerant, non tamen ad sarcinas, sed quasi ad telonium sedentes : siquidem omnes census, redditus, & vestigalia recipiebant. Nempe colluserant cum Ludovico de Habsperg, atque alium à Cæsare Regem habentes, etiam Abbatis Imperio subesse detrectabant. De tanta insolentiâ haud dubiè per Georgium commonitus Imperator Fridericus, suam interposuit auctoritatem, ut eò citius rebelles ponerent supercilium. Quapropter Litteris convenit Abbatem Sorethanum, præcepitque, ut Roggenburgum se conferret, & causâ intimius examinata, quos de Conventu reos deprehenderet, juxta Ordinis Regulam, Statuta, & Capitula severius castigaret, ne (vide, ut Privilegiis Ordinis consultum velit Fridericus) ad avertenda mala majora contrâ rebelles alia procedere juris & potestatis viâ cogeretur. Litteras quoque sub eodem anno & die dedit ad Ottomem Mayr, Joannem Nefen cæterosque Canonicos Roggenburgenses. In his sibi delatum esse refert, quatenus sine præscitu & licentia Georgii Abbatis, contra Ordinis Regulam & Statuta, auderent recipere census, vestigalia, aliosque Monasterii redditus non sine notabili damno. Cumque suâ quâ Romanorum Imperatoris & supremi ac directi Advocati intersit, quæcunque mala avertere, addit, nisi spatio quindecim dierum resipiscerent, Administratione ultrò cederent, Georgio tanquam Domino & Prælato suo promptam in omnibus obedientiam exhiberent, ipsum solum & non alium respicientes, noverint, se Imperatoris & totius Imperii disgratiām aliisque pœnas incursum. Finem intestini hujus belli nuspian inventire potuimus. Quis verò dubitabit, Georgium sub tanto Protectore viatore non stetisse in arena, filios autem in pedes cecidisse, & sacratae manus osculo novam ac inviolabilem spoondisse obedientiam, præsertim dum viderunt, subditos sœculares novo homagii Juramento Præsulum optimo subarrhari, ut modò dicemus.

## §. IV.

*Georgius Possessioni denuò immisus, feliciter præest. De Confirmatione Privilegiorum, & novis concessis.*

Tandem post nubila Phœbum reduxit annus suprà Millesimum quadringentesimum octogesimus nonus, quo Fridericus Imperator Bartholomæum Rodt delegavit, ut Georgium in Possessionem Monasterii, Dignitatis, omnium Jurium Authoritate Cæsarea denuò immitteret, & subditos novò eidem homagiò subjiceret. Diem tantæ festivitati assignatam non reperio, jucundissimam fuisse, nullus ambigo, præsertim Georgio Abbatì, cui togata præ sagata Pallade semper in amore fuit. Formulae Juramenti homagialis hæc notatu dignissima verba leguntur inserta : Item jurabitis Clementissimo Domino nostro, Romanorum Imperatori, & Sacro Imperio, quod velitis ipsum agnoscere & venerari tanquam supremum Advocatum Monasterii Roggenburgensis. Item quod legitimò Domino & Prælato vestro, Abbatì Georgio, hic præsenti, vel cui is mandaverit, in omnibus velitis esse obedientes, subjecti, & prompti in reddendis censibus, vestigialibus, redditibus, in omnibus bona Monasterii promovere, & mala removere. Item quod in communi necessitate non velitis ad alium defensorem recurrere, aut alterius Jurisdictioni vos subjicere. Item jurabitis, quod laudatissimo Fœderi Suevico cum Domino

Domino & Prælato vestro fideliter velitis adhærere, prout alii Domini, & Monasteriorum homines, quæ eidem Fœderi associata sunt.

In anathema restitutæ Libertatis & subjectionis immediatæ Imperio Romano, Cæsar is stemmata his versibus ornata triumphali penicillo delineari curavit Georgius:

Cæsareas Domus hæc cognovit semper habendas,

Quamlibet à Bojo Principe pressa fuit.

Exule sed tandem revocato Praesule, rursus

Ipse per Imperium libera sceptræ tenet,

Cæsaridum quod pieta notant hæc arma, nitori

Quæ Janus voluit restituisse suo.

Rebus ita compositis, manum gladiò fatigatam, non fractam, admovit Clavo, atque, ut nemo posthac infringere privilegia Monasterii sui temeraria manu auderet, repagulum temeritati positurus, Maximilianum Romanorum Regem, tunc Ulmae commorantem, supplex adiit, quatenus dignaretur confirmare autoritate regali omnia & singula Canoniae Roggenburgensis privilegia. Exauditus est pro sua reverentia à Rege Consiliarius Regis; datis namque tabulis publicis Maximilianus anno 1490. die Mercurei post Dominicam *Cantate* confirmavit omnes gratias, immunitates, Litteras, privilegia, judicia, Præfecturas, jurisdictiones, Dominationes, vineas, Aquæductus, prata, sylvas, piscinas, jus venandi, fructus, redditus, census, vectigalia, veteres consuetudines & observantias. Privilegium hoc confirmatorium anno & die; quod supra, Ulmae datum, chartæ pergameneæ inscriptum, & majori Sigillò Regio firmatum est.

Hoc modo paci publicæ, alio, qui sequitur, privatæ subditorum suorum tranquillitati consuluit Abbas. Adverterat Georgium, exortis subinde litibus jus & æquum & quod parte dici à Judicibus minus idoneis, qui partes litigantes in summum justitiae & fori Roggenburgensis præjudicium ad alia tribunalia pariter sanioris Consilii & majoris doctrinæ Judicibus destituta. Itaque ipse Juris utriusque Doctor articulos quosdam & Constitutiones condidit, secundum quas à Præfectis subditi judicarentur, quin vel ad dexteram vel ad sinistram declinare, aut iota unum addere vel apicem demere licuisset Judici inferiori. Utque vim legis haberent ejusmodi constitutiones, voluit illas ab Imperatore Friderico confirmari. Pergratum accidit Friderico, Consiliarium suum tam præclarum esse justitiarium; unde precibus Georgii clementissimè inclinatus, rata voluit esse firma, quæ statuisset Abbas, addito ad calcem Confirmationis, ut, si causa emerget, in qua discrepant Judices & Assessores fori Roggenburgensis, prætermisso quovis alio tribunal, decidendam Consulibus Civitatis Ulmensis deferrent. Ajecta in transgressores pœna ascendit ad 20. marcas auri. Quod Pater approbavit, non reprobavit Filius Maximilianus, quin pœnam duplicavit illi, qui præsumeret hoc privilegium impugnare, vel usum impedire, ita ut 20. marcas cedant Camerae Regiae, & totidem Monasterio.

Idem Maximilianus I renovavit Privilegium Friderici, Austriæ Ducis, de quo C. ult. part. prioris. Item diversas Privilegiorum copias, quæ de verbo ad verbum referuntur, confirmavit Wormatiæ 1. Augulti 1495. eodem anno & mense, die autem 3<sup>to</sup> confirmavit forum judicii Roggenburgensis in causis civilibus; concessit facultatem condendi statuta & leges particulares, voluitque, nullum, Abbate tanquam legitimo Judice præterito, appellationi locum esse, nisi causa concerneret ipsum Abbatem & Monasterium, pro quo casu immediate vel ad Cæsarem, vel ad Imperium statuit esse appellandum. Hujus & alterius de Articulis pœnalibus privilegii publicatio facta est 1. Februarii 1495 in tabernæ (Gasthaus) superiori cubili circa horam secundam pomeridianam, præsente Abbe Georgio & potiori parte judicum Dicasterii Roggenburgensis.

Anno 1494. Sabbatho post festum S. Erasmi Maximilianus sœpè memoratus mandato Regio præcepit, ut Roggenburgenses nullum alium Protectorem aut Advocatum reciperent nisi Cæsarem. Cum igitur anno 1497 Bernardus de Knöringen jus Advocatiæ (Castenvogtey) violenter in se transferre quereret, Georgius ad Maximilianum querelam contra Bernardum detulit. Eleganter in litteris suis perorat Georgius, docetque, quemadmodum à primo fundationis tempore libera facultas Roggenburgo fuerit, Advocatum eligendi. Et primò quidem electum esse Brunonem: dein annis abhinc ducentis Nobiles de Eberstall vi potius & minis, quam jure Advocatiam in se transtulisse, usque dum Conradus pro se & posteris suis tutelam Præposito per emptionem cesse-

rit: postea Ellerbacenses electos esse, quin ullum omnino jus in Monasterium sibi arrogassent: Ellerbacensibus Fratrum electione successisse Consules & Magistratum Ulmenenses: denique cum Ludovicus de Habsperg dire affligeret Roggenburgum, & à Romano Imperio tentaret avellere, bannū majori vapulasse. His propositis, provocando ad privilegia ab ipso Maximiliano confirmata, rogat, ut temerarius Bernardi ausus compescere dignaretur. Quem effectum supplicatio fortita fuerit, ignoramus.

## §. V.

*De privilegio Altaris portatilis, & Confirmatione aliorum.*

*Georgius, impetrato Pontificalium usu, piè moritur.*

Ea fidelium primi temporis in ter Venerabile Sacramentum erat devotio, ut, quoties iter faciendum fuerat, viæ comitem adsciverint Deum Eucharisticum, vel è collo pendulum, vel alio modo portatum. Pietatis antiquæ æmulus S. P. N. Norbertus saepius in die Missarum solennia celebraffe legitur in vita. Secuturus Patrem filius, ut nullibi ad sacrificandum deesset ara, portatilis usum impetravit à Legato Apostolico. Privilegium hoc amplissimum Lectoris oculo subjicimus.

Raymundus Episcopus Gurcensis, Sanctissimi Domini nostri Papæ Referendarius domesticus, Ejusdemque & Sedis Apostolicæ ad Almanniam, universaque & singula, Provincias, Civitates, Terras, & loca Germaniae Sacro Imperio, & illis Electoribus, &c. subjecta, cum plena potestate Legati de Latere Nuntius & Orator, Venerabili & Religioso Viro Domino Georgio Abbatii Monasterii in Roggenburg Augustensis Diœcesis Salutem in Domino. Personam tuam Nobis & Apostolicæ Sedi, cui in Legationis obsequimur sollicitudinem, devotam, tuis exigentibus meritis, paternâ benevolentia prosequentes, illa tibi libenter concedimus, per quæ sicut piè desideras Divinis Officiis intentus existas, & spiritualis Salutis tibi proveniat incrementum. Hinc est, quod Nos tuis devotis precibus inclinati, ut liceat tibi habere Altare portatile cum debitiss reverentia & honore, super quo in locis ad hoc congruentibus & honestis possis per te ipsum, sive alium Sacerdotem idoneum, sine tamen alieni juris præjudicio, etiam antequam illucescat dies, circa tamen diurnam lucem, cum qualitas negotiorum pro tempore ingruentium id exegerit, ita quod id ne tibi nec Sacerdoti taliter celebranti ad culpam valeat imputari: & similiter cum ad loca Ecclesiastico Interdicto Ordinaria Authoritate supposita te declinare contigerit, in illis clausis januis, Excommunicatis & Interdictis exclusis, non pulsatis campanis, submissa voce, in tua & familiarium tuorum domesticorum præsentia Missas & alia Officia Divina celebrare, seu celebrari facere, dummodò tu vel illi causam non dederint Interdicto, nec id tibi vel illis specia littere contigerit indici. Ideoque Tu & Successores tui ipsius Monasterii Abbates pro tempore existentes, quascunque Missivas, seu alias Litteras, gratiam vel justitiam quomodolibet concernentes in cerâ rubê Sigillum Monasterii apprimere liberè & licite valeas, & ipsi Successores valeant Authoritate Apostolica, qua quod ad hoc per speciales Sanctissimi Domini nostri Innocentii Divinâ providentiâ Papæ VIII Litteras fungimur, & Legationis authoritatibus tenore præsentium indulgemus. Proviso quidem hujusmodi indulto ante diem celebrandi, seu celebrari faciendi parcè utaris: quia cum in Altaris Officio immoletur Dominus Noster JESUS Christus Dei Filius, qui candor est lucis æternæ, congruit id non noctis tenebris fieri, sed in luce. In quorum fidem & testimonium prælentes Litteras fieri, nostrique Sigilli iussimus & fecimus appensione muniri. Datum Nürnbergæ, Bergensis Diœcesis anno Incarnationis Dominicæ Millesimo, quadringentesimo, nonagesimo primo, decimo Kalendas Maji. Pontificatus Ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Papæ prefati anno septimo.

P. Constant.

Idem Illustrissimus Legatus Raymundus, cum anno 1501. Roggenburgi pernoctaret, ad instantiam & preces P. Prioris hoc Privilegium extendit ad omnes & singulos tam præsentes quam futuros Canonicos Monasterii Roggenburgensis. Aliud quoque adjecit Privilegium, vi cuius Roggenburgenses perpetuo Almutiis de quibuscumque pellibus, demptis tamen nobilibus, quæ ad Prælatos spectant, uti, illaque deferre & gerere possunt, non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac Monasterii & Ordinis juramento, Confirmatione Apostolica vel quavis firmitate roboratis Statutis & consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Litteras super hoc dedit in ipso Monasterio Roggenburgensi anno 1501. undecimo Kalendas Augosti, Alexandri Papæ sexti anno nono.

Qui

Qui tanta sollicitudine curabat, ne deficeret ara, multò sollicitior erat, ut locus non decesset, in quo Sacerdos staret ad aram. Viderat Georgius, tumultuante bello nec Sanctis, nec sacris parcitum esse, cumque redditia postliminiò pace scrinia diligenter evolveret, nec litteras, quibus Ecclesiæ variae Roggenburgo unitæ fuerant, reperiret, multù animo cœpit angu, veritus, ne, ubi litera scripta non ficeret fidem unionis, aliena perfidia unitas aliquando fuisse omnino negaret. Opportunè tunc agebat Ulmæ Raymundus Sedis Apostolicæ Legatus, & interea ad Cardinalitiam Dignitatem promotus. Hunc novas unionis litteras rogavit Georgius, & impetravit, ut sequens loquitur Tabula.

Raymundus miseratione Divina Titulo Sanctæ Mariæ novæ, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis Gurcensis, ad universam Germaniam, Datiam, Suetiam, Norvegiam, Phrisiam, Prussiam, omnésque & singulas illarum provincias, Civitates, terras & loca, etiam Sacro Romano Imperio in ipsa Germania subiecta, ac illis adjacentia, Sedis Apostolicæ de Latere Legatus, ad perpetuam rei memoriam. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte Dilectorum nobis in Christo Georgii Abbatis & Conventus Monasterii in Roggenburg Prämonstratensis Ordinis, Augustensis Diœcesis, peritio continebat, quod licet alias Parochiales Ecclesiæ in Bibrach & Wallenhausen ac Wisenbach & Zaizertshoven Augustensis Diœcesis Monasterio in Roggenburg fuerint & sint perpetuò unitæ, annexæ, & incorporatae, illasque postmodum tanquam sic unitas & incorporatas pacificè & quietè tenuerint & possederint, prout adhuc tenent & possident de præsenti. Nihilominus guerris & aliis sinistris eventibus, qui retroactis temporibus in partibus illis, proh dolor, viguerunt, Litteræ unionum, annexionum & incorporationum hujusmodi deperditæ fuerunt. Et sicut eadem petitio subiungebat, si parochialis Ecclesia in Berg, Augustensis Diœcesis, quæ de jure Patronatus Abbatis pro tempore existentis, & Conventus ejusdem Monasterii perpetuò etiam uniretur, annexetur, & incorporaretur, profecto commodo & utilitatí ejusdem Monasterii plurimum consuleretur. Quare pro parte Abbatis Georgii & Conventus prædictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut uniones, annexiones & incorporations Ecclesiarum Parochialium in Biberach & Wallenhausen ac Wisenbach & Zaizertshoven prædictarum confirmare & approbare, seu illas de novo, nec non parochiale Ecclesiam in Berg prædictam, quamprimum illa per cessum vel decepsum, seu quamvis aliam dimissionem moderni illius Rectoris vacare contigerit, eidem Monasterio unire, annexere, & incorporare, aliasque Statui eorum in præmissis opportunè providere dignaremur. Nos igitur Monasterii ac Abbatis & Conventus prædictorum commodo & utilitati, quantum possumus, providere volentes, ipsose Georgium Abbatem & Conventum à quibuscumque Excommunicationis, Suspensionis & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris & poenis à jure vel ab homine quavis occasione vel causa latet, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, eorum in hac parte supplicationibus inclinati, uniones, & incorporationes de dictis parochialibus Ecclesiis eidem Monasterio factas, hujusmodi, quatenus factæ sint, autoritate Legationis nostræ, qua fungimur in hac parte, tenore præsentium confirmamus, ac illas de novo, si & in quantum opus sit, nec non parochiale Ecclesiam in Berg prædictam, cuius fructus, redditus, & proventus quatuor marcharum argenti, secundum communem existimationem, valorem annum ut afferitur, non excedunt, eidem Monasterio in Roggenburg perpetuò eadom Authoritate unimus, anneximus, & incorporamus, ita quod cedente vel decadente moderno Rectori ejusdem Ecclesiæ Berg, seu illam alias quomodolibet dimittente, liceat Abbat pro tempore existenti & Conventui præfatis corporalem, realem, & actualem parochialis Ecclesiæ in Berg possessionem propria authoritate apprehendere, nec non aliarum Ecclesiarum parochialium in Biberach & Wallenhausen ac Wisenbach & Zaizertshoven unitarum hujusmodi possessionem in qua, ut afferunt, existunt, continuare, illasque omnes & singulas perpetuò retinere, & illarum ac Ecclesiæ in Berg prædictæ fructus, redditus, & proventus in suos ac illorum & Monasterii usus & utilitatem convertere, Diœcesani locorum & quorumvis aliorum licentiâ desuper minimè requisitâ. Proviso quod Parochiales Ecclesiæ prædictæ debitibus propterea non fraudentur obsequiis, & animarum cura in eis nullatenus negligatur, sed eorum congruè supportentur onera consueta. In quorum fidem & testimonium has nostras præsentes fieri, nostrique Sigilli jussimus & fecimus; appensione communiri. Datum Ulmæ Constantiensis Diœcesis anno Incarnationis Dominicæ Millestimo, quingentesimo primo, nono Kalendas Augosti, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Domini Alexandri Divinæ Providentiæ Papæ Sexti anno nono.

Raymundus.

Gratis de Mandato Rev. mi Dni. Legati Raymundi.

Tom. VI. Collect. Monast.

T

Jam

Jam anno 1498. Georgius noster partibus suis faventem expertus erat Alexandrum Papam VI, qui Authoritate sua Decano Ecclesiae Augustanæ (Udalricus de Hochen-Rechberg vocabatur, Decretorum Doctor, electus 1465, mortuus 1. Junii 1500) delegata, Philippum de Letra Hospitalis Memmingensis Magistrum ad restituenda quædam Monasterii nostri bona compulit. Ad hunc denuò recurrit Abbas, partim ut Privilegiorum Confirmationem & eorum conservatores, partim & mitræ aliorumque Pontificalium usum sibi & Successoribus suis impetraret. Utrinque benevolum habuit Pontificem. Nos prætermisis Bullis Confirmatoriis, quæ in forma communi datae leguntur solum adducimus Bullam, quæ mitram & pedum dedit Monasterio nostro.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, Dilectis Filiis Georgio Abbati & Conventui Monasterii in Roggenburg, Præmonstratensis Ordinis, Augustensis Diœcesis, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Exposcit vestræ devotionis affectus, quem ad Nos & Romanam geritis Ecclesiam, & Religionis promeretur honestas, ut humiles preces vestras, quantum cum Deo possumus, ad exauditionis gratiam admittamus. Hinc est, quod Nos vestris honestis votis annuere volentes, ac vos & vestrum quemlibet à quibuscumque Excommunicatis, Suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris & pœnis à jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati estis, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, ut Tu fili Abbas & tui Successores, qui pro tempore fuerint, Monasterii de Roggenburg, Præmonstratensis Ordinis, Augustensis Diœcesis, Provinciæ Moguntinæ, Abbates Mitrâ, anulo, Sandaliis, Chirotecis & aliis insigniis & Ornamentis Pontificalibus uti, & quotiescumque Te & Successores prædictos Divina Officia solenniter celebrare contigerit, Benedictionem, solemnem post Missarum, Vesperarum & Matutinarum Solemnia Conventui, populo ad Divina in singulis Monasteriis ejusdem Ordinis, ac Ecclesiis Parochialibus, eisdem mediata vel immediata subjectis, dummodò aliquis Antistes vel Apostolicæ Sedis Legatus tunc præsens non fuerit, convenienti elargiri, ac Pallas, Vests, & alia Ornamenta Sacerdotalia ad Divinum cultum necessaria & pertinencia, quotiescumque opus fuerit, benedicere, ac dicti & aliorum Monasteriorum eidem subjectorum personis ad hoc idoneis quatuor minores Ordines, etiam extra tempora à jure statuta, ritè conferre, & ejusdem Monasterii & alii subjectorum Monasteriorum prædictorum, cæterisque etiam parochiales Ecclesias illis, ut præfertur, subjectas, ac Capellas, Altaria & Cœmeteria earundem Ecclesiarum, aquâ prius, ut moris est, per aliquem Catholicum Antistitem benedictâ, quotiescumque effusione sanguinis vel seminis polluta fuerint, reconciliare perpetuò, liberè, & licet possitis, felicis recordationis Alexandri PP. IV. Prædecessoris nostri, Constitutione quæ incipit: *Abbates &c. ac illa, quæ præcipit reconciliationes hujusmodi per Episcopos tantum fieri, & quibusvis aliis Apostolicis, ac in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus & ordinationibus, nec non Monasteriorum & Ordinis prædictorum juramento, Confirmatione Apostolicâ, vel quavis alia firmitate roboratis Statutis & consuetudinibus, cæterisque contrariis nequaquam obstantibus, Tibi & eisdem Successoribus authoritate Apostolica tenore præsentium de specialis dono gratiæ indulgemus.*

Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis & concessio-  
nis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsum-  
pserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum e-  
jus se noverit incursum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Domini-  
cæ Millesimo quingentesimo tertio, Kalendis Decembris, Pontificatus nostri anno un-  
decimo.

P. Zuba

P. Thomarotius.

Tandem mors posuit metas Herculi nostro, & columnis ad mare non Gaditanum, sed Mortuum, inscripsit: non plus ultrâ. Cessit quasi opportunè venienti, quia nil amplius supererat, quod ageret in terris, & secessit in regionem mortis 18. Septembris anno 1505. Laudem etiam ab exteris tulit; sic enim de Georgio Speculum honori Domus Austriacæ loquitur: Vir erat Statura prælongus, & hilaris semper, in decernendo velox & providus, in exequendo felicissimus, in adversis invictus, Juriūque Canoniae suæ defensor acerrimus. Sepultus est in sinistra parte Chori, & lapis tu-  
mulo impositus hanc epigraphen exhibebat.

Anno

Anno Domini MCCCCC. obiit  
Venerabilis Pater & Dominus  
Georgius Mahler  
Tertius Abbas hujus Monasterii  
Cujus anima requiescat  
In pace.

Alias autem lapis marmoreus muro immisus loquebatur hoc modo:

Anno Domini  
MCCCCCV. XVIII. die Mensis Septb.  
Obiit Venerabilis Pater & Dominus  
Georgius Mahler  
Primus Infulatus, tertius Abbas hujus Monasterii,  
Cujus anima requiescat.

Ex his ambigi posse videtur, quando haec primæ magnitudinis stella de Hemisphærio nostro ceciderit, sed primo lapidi fides ex eo non habenda, quia, cùm hominum pedibus jam aliquot sœculis fuerit subjectus, facile accidere potuit, vel etiam debuit, ut litteræ aliquæ aut Cifræ obtritæ fuerint & deletæ, vel incuria lapicidæ primitus omisæ. Cùm autem Epigraphe secunda magis singularia doceat, & ex dictis superius infallibiliter constet, Georgium post annum 1500 adhuc in vivis egisse, cum Joanne Guler nobili Equite de rebus Rhœtiæ fol. 128. & R. P. Cham indubitanter judicamus & asserimus, præclarissimum hunc Abbatem obiisse anno 1505.

### §. VI.

#### *De Abbatibus Ecclesiarum Filialium.*

In Ecclesia Churwaldensi, præidente Rmo. Joanne Abate Urspergensi, & assistentiibus ipsi Leonardo Abbe S. Lucii & Paulo Præposito S. Jacobi in Pretigoia, per Compromissum ex Priore in Abbatem anno 1488. die 13. Martii electus est Joannes à Trostberg, de quo non multa reperimus; in perficiendis, quæ Ludovicus cœperat, ædificiis & præcipue domo Abbatiali indefessè laborasse, atque sub annum 1494. Altare in honorem SS. Petri & Pauli à F. Balthasare Ord. Prædicatorum, Episcopo Trojano, & Henrici Episcopi Curiensis Suffraganeo esse inauguratum, tradit R. P. Georgius Häberlin Can. Roggenburg. & Administrator Churwaldensis in sua *Churwaldia fundata, propagata, defolata.* Obiit Joannes anno 1497. De jure & vi Statutorum Ordinis nostri electionem dirigere debuisset Georgius Abbas noster, utpote Pater Abbas Churwaldiæ. At quoniam pax Domi suæ illo tempore non fuit, vices potestatēmque suam omnem quod ad hunc actum commisit Joanni Abbatii Urspergensi, ut constat ex litteris Georgii datis Uimæ 6. Febr. 1488. in quibus afferit; „cùm hoc tempore propter non tutum actum, cessum, gweris, insidiis, dissidationibus specialibus personæ nostræ imminentibus, discriminib[us]que viarum, & negotiis arduis tum Monasterio tum nobis nunc incumbentibus personaliter explere (scilicet officium Patris. Abbatis) perficeré que non valemus, Authoritatē facultatēmque nostram nobis in hoc quomodoliberet competentem aut competere valentem, ut expensis parcatur, Rdo. in Christo Patri ac Domino D. Joanni Abbatii in Ursperg tenore præsentium damus & concedimus, ita quod ipse nostro nomine eorum electioni præsit & interfit, vota colligat, electum confirmet, cæteraque omnia & singula nobis quovis modo competentia tum ratione Statutorum Ordinis tum etiam Superioritatis, faciat, agit & perficiat, et iamsí quid foret, quod speciale mandatum requirat. Quæ omnia & singula per eum facta aut facienda, grata, rata habere volumus.

Post obitum Joannis à Trostberg, præidente Georgio Abbe nostro, electus, sed non confirmatus est Joannes Weifs, eò quod consentire noluerit, electionēmque de se factam mox resignaverit in manus Patris Abbatis. Unde in ejus locum venit Gebhardus Benz Abbas, (si Joannem non velimus numerare, prout alii faciunt) numero IV. ob insignem humilitatis actum Joanni Pater - Abbas sequentes indulxit prærogativas. Post Priorem Monasterii primum ubique locum tenuit. In dormitorio Cubiculum decentius pro placito eligere, vel omnino novum, intrà septa tamen Monasterii & propriis expensis, habitationis locum construere potuit, ut ibidem Monasticam vitam duceret. In virtute S. Obedientiae districte mandatum Abbatii & Conventualibus, ut Joannem pio amore amplecterentur, sincera in Domino tractarent charitate, in concessis ipsi privilegiis nullo modo turbarent, aut impedirent sub pena amit-

amittendæ vocis activæ in Capitulo, & stalli in choro ac Refectorio. De Gebhardo plura audiemus inferius; hæc interim habeto Lector. Anno 1502 deducto ad fastigium & templi & Cœnobii ædificiō in festo S. Michaëlis Archangeli per Henricum Episcopum Curiensem solenni ritu Omnipotenti Deo dedicata est sub honore & patrocinio B. V. Mariæ, S. Michaëlis Archangeli, & SS. Angelorum. Anno 1503. 17. Maji R. D. P. Conradum Schmelzli Canonicum & Professum Churwaldensem ad S. Jacobum in Brettigoia Præpositum instituit, rebus ibidem sensim in deteriora vergentibus. Ejusmodi Præpositus erat ad nutum Abbatis Churwaldensis amovibilis, ad hoc juramento obstrictus. Præterea Subpriori Churwaldiæ singulis annis solvebat 8. florenos, nempe singulis angariis duos. Solennitas autem institutionis hæc fuit. Postquam juramentum depositum novus Præpositus, à Churwaldensi Abbe illius dìgo inferebatur annulus aureus, & byreto capiti imposito in Altari Summo constituebatur, ubi interim Canonici Hymnum SS. Ambrosii & Augustini decantabant.

In Canonica Adelbergensi Berchtoldo anno Christi 1501 è vivis abeunti succedit Leonardus Dyrius, Juris utriusque Doctor, Maximiliano I & Carolo V Imperatoribus à Consiliis, Sacri Ordinis per Sueviam & Bavariam Visitator. Iniquissima optimi viri fata suo recensebimus loco & tempore.

### §. VII

#### *Annotationes.*

Sixtus IV, antea Franciscus de Rovere, Savonæ natus, & juvenis S. Francisci Ordinem amplexus, ejusdem postea Generalis Magister extitit. A Paulo II. Cardinalium associatus Collegio, post mortem Pauli 9. Augusti Anno 1471. Pontifex creatus est. Contra Mahometem II, qui jam Imperia duo, regna quatuor, Provincias viginti, & civitates decentas occupaverat, orbem Christianum ad arma vocavit, atque hunc in finem instruxit Classem bellicam à centum & quatuor navibus austriis formidandam. Rhodus Insula à Mahometo impugnata, non expugnata, Turcas in Rhodo saltare gestientes, mare mortuum trahicere coegerit, prælio victos fugatosque An. 1480. 26. Julii. Anno sequenti interierit Mahomet, Christianorum terror. Sixtus verò pientissimè obiit 12. Augusti 1484. Pontificatum tenuit annos 13. dies 3. approbavit Ordines Religiosos Minimorum à S. Francisco de Paula, Eremitarum S. Augustini Discalceatorum à Baptista Poggio Genuensi institutos. Catalogo Sanctorum Bonaventuram, Beatorum Fratres quinque ex Ordine Minorum, temporibus Honorii Papæ III. in Regno Maroccano Martyrii Laureolâ decoratos, adscriptis.

Alexander VI, cui Mitram debet Roggenburgum, prius Rodericus Borgia, natione Hispanus, adhuc juvenis à Callisto Papa III. avunculo suo Cardinalis & Archiepiscopus Valentiae renuntiatus est. In Cathedra succedens Innocentio VIII. anno 1491, seddit annos undecim, venenô, quod Cæsar Borgia Cardinali Adriano de Cornetto propinare intenderat, sublatus, postquam, ut Diurnale aliquod Manuscriptum perhibet, Episcopo Culmensi sacramentaliter confessus, Viatico sacrô munitus esset.

Maximilianus I. Friderici III. & Eleonoræ filius, septem calluit linguas. Nubens Mariæ Burgundionum Comitissæ Comitatus Burgundiæ & Flandriæ junxit alaudis Austriæ. Imperator pius & justus, Conciliabulum Pisanum omni virium conatu impedivit, regiones septentrionales in vera Catholica fide conservare studuit. Perjurii & blasphemiarum tantus osor, ut nullum hac pice inquinatum lateri suo hærere passus sit. Egenorum Patronus & Amor Hospitalia decem erigi sufficienterque dotari moriturus jussit. Sacrificio Missæ quotidie interfuit, tanto Sacerdotes honore prosecutus, ut venientes ad se illicè confidere mandaverit. Sarcophagum, etiam in præliis, semper penes se habuit, ut quotidiana mortis memoria doceret semel bene mori. Prolem genuit masculum & fœminam, nempe Philippum & Margaritam. Ille nubendo Joannæ de Arragonia sociavit Austriæ Regna Hispaniæ, Neapolis & Siciliæ. Hæc primò desponsata Carolo VIII, Galliarum Regi, ante nuptias repudiata in thorum non est missa. Nupta secundò Joanni Arragoniæ Principi, lessum paulò post cantari audivit marito. Tertiò copulata Philiberto Sabaudiæ Duci, paulò magis propitium habuit Hymenæum. Obiit Maximilianus propè sexagenarius Velsæ in Austria anno Christi 1518.

Georgius Bavariæ Dux, expilator Roggenburgi, ex Patre Ludovico divite lineæ Landishutanæ genitus, & ipse dives est appellatus. Uxorem duxit Hedwigem Casimiri Poloniæ Regis filiam. Homagium à subditis vix duodenni præstitum est. Illis cum potestate

testate præesse cœpit anno 1479. quæ bella gesserit Dux divitiis superbus, consule Historias. Obiit anno 1502.

De Fœdere Suevico ita habet R. P. Cham in Hierarchia Augustana p. 1. C. 6. Class. 4. Sect. 3. in annot. fol. 299. Anno 1488. ad fures, latrones, prædones, & hujus farinæ homines, rapto viventes, vias infestantes, atque passim per Sueviam ac Bavariam grassantes, extirpandos, Maximilianus I. Imperator instituit Ulmæ Societatem, seu *Fœderum Clypei S. Georgii*, *Suevicum appellatum*, ex Electoribus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus conscriptum. Uniebantur Consœderatis non solum Suevi ac Bavari, sed etiam exteri Prælati Ecclesiastici, & Civitates Imperiales. In vexillo, quo utebantur, repræsentabatur S. Georgius Eques draconem transfodiens, unde equites Clypei S. Georgii cognominabantur. Hac si cum illis conjungimus, quæ à Bavaris Georgius Abbas & Canonia nostra pati habuit, manifestum est, aut Bavaros tempore illo à fœdere defecisse, aut Habspergium, qui Duci Bavariae militabat, falsissimè Nomen & Imperia Ducis sui jactasse, cum tanto res & spes nostras obvolvit turbine.

Nomen Abbatis Sorethani, ad coërendos Canonicos Roggenburgenses delegati, non quidem exprimunt litteræ Fridericianæ, quia tamen regiminis annus concordat, procul omni dubio fuit Henricus Oestreicher, Ordine XXIV, Abbas III. vir prorsùs egregius, SS. Can. Doctor, & S. Cæsareæ Majestatis Consiliarius. Petro Fuchs Antecessore suo ob Senium Abbatiam resignante anno 1480. regimen auspicatus, Ecclesiam, Bibliothecam & Cæmeterium exornavit, Marispurgi domum in suburbio sitam pro suo ac suorum refugio comparavit, subditos sui Monasterii ab omni aliena Jurisdictione (solo denegatae Justitiæ casu excepto) exemit. Obiit anno 1505. 18. Aprilis. Referunt eadem litteræ commissoriae, quod Visitatoris munere functus fuerit Henricus; verum de hoc altum silent Annales Sorethani, & merito; nam ad annum usque 1656. hæc dignitas Sorethi non fuit. Ut tamen sua verbis Cæsareis constet veritas, dicendum, in hac causa Visitatorem egisse unà cum aliis Prælati specialiter deputatum.

Conservatores Privilegiorum nostrorum ab Alexandro VI. constituti, erant Hieronymus & Conradus, ille Ochenhusi, hic Wiblingæ, Abbates. Hieronymus, cognomine Buchelberger, natus in Dinckelspil, ordine, postquam Monasterium in separatam Abbatiam à Martino V. P. M. fuit elevatum, septimus, electus 28. Febr. 1498, post 10. annorum regimen obiit 1508. Conradus Rhue, Nomine II, Ordine XIX, Infusatius I, Abbas Wiblingæ, mitram accepit ab Innocentio Papa VIII. anno 1488. Solennitatem Wiblingæ institutam, quando prima vice mitratus apparuit Conradus, ita describit quidam *Anonymous*: Anno 1488, fuit Infula donata Monasterio, & in Exaltatione S. Crucis cantavit D. Abbas primum Officium cum Ministris præcedere solitis, & fuit populus ad Officium multus. Imò fuerunt, qui prandium caperent, circiter quingenti homines, & fecerunt oblationem juxta cuiuslibet honorem. Adfuit simul D. Philippus Comes de Kirchberg cum Vxore sua de Schauenberg, ac antiqua Comitissa de Kirchberg vidua, nata de Fürstenberg, & plerique viri docti & indocti, Doctores & Magistri. Et M. Christianus Prædictor in Ulma fecit sermonem ad populum, & habuit pro Themate illud Esther 6. quid debet fieri viro, quem rex vult honorare? Ita Templum honoris Wiblingense Sæc. 4. C. 5. fol. 55. stylum hujus Historici ne mirare, ferrea enim vix non fuit illa ætas. Obiit autem Conradus 12. Julii 1504.

Martium denique Nobilium de Habsperg spiritum commendant Ludi equestres, septimus anno 1042. ab Henrico III. Imperatore Halæ Saxonum, & octavus 1080. celebrati, quibus interfueré. Dolendum propterea, quod Ludovicus cæco placendi Bavariae Duci spiritu ductus, à Gloria Majorum exciderit.

## C A P U T IV.

### Joannes Müller Abbas IV.

**D**e Joanne Domini Præcursori, ut Ambrosius Lib. 2. Comment. in Lucam C. 1. ante finem observat, in Evangelio nihil legimus, nisi ortum ejus, & Oraculum, exultationem in utero, vocem in deserto, occasum in Carcere: de Joanne Georgii Successore aliud nihil invenimus præter ortum ejus & occasum. Natus Memmingæ, patrem habuit ejusdem urbis Consulem. Ipse quod certius saluti consuleret, tenebat. *Tom. VI. Collect. Monast.*

U

tis

ris sub annis Civium turmas fugiens antra deserti petiit, factus in Cœnobio nostro Canonicus Præmonstraten sis. Qui regulas ad infimum usque apicem servaverat, post mortem Georgii supremum honoris apicem consendit, Abbas IV. Virum maximæ spei, & non nisi magna molientem animo præmatura mors occupavit. Cum enim vix biennio præfuiisset, inter homines esse desit, raptus, non quidem, ne malitia mutaret intellectum, sed ut virorum optimus malitiosos haud videret rusticos, qui paulò post diabolico furore perciti sùsque déque verterunt omnia. Sepultus est in sinistra Chori abside suprà gradus in dextro latere, ubi sequentia saxo insculpta legebantur.

Anno Domini MCCCCVII.

Obiit Venerabilis Pater & Dominus

Johannes Müller

Quartus Abbas hujus Monasterii,  
Cujus anima requiescat in Sancta pace.

Unam unicam, sub Joanne scriptam, Archivum nostri Monasterii asservat copiam vidimatam Wilhelmi Henselmann Abbatis Urspergensis, referentem verba Tabulae illius Fridericianæ, qua confirmantur articuli pœnales & constitutiones ac leges particulares à Georgio Abbe Joannis Prædecessore latae & promulgatae. Copia Chartæ Pergameneæ inscripta est, appenso Abbatiali Sigillo, & Subscripto nomine Hieronymi Winckelhofer de Ehingen, Notarii Apostolici & Cæfarei. Haud vanè suspicamur, Udalricum Winckelhofer, inter Præpositos Monasterii nostri septimum, Hieronymo sanguine junctum fuisse, cum & nomen & patria utriusque conveniant. In Templo honoris Wiblingani inter Abbates recensetur Jodocus Winckelhofer, cuius quæ fuerint gesta, ne falcam alienæ immittamus messi, Lectorem ad ea remittimus, quæ in hac Collectione Scriptorum &c. domesticus prælo commisit calamus.

De Wilhelmo Henselmann hæc Fasti Urspergenses: ex Pastore de Kemblach in Abbatem sublectus est, vir à sapientia, à continentia, à benignitate, & demissione animi, frugalitate, œconomia laudabilis. Alienata prædia recuperavit, tentatam à Prædecessore caducarum ædium instaurationem absolvit gloriosè, & humilis moritur anno 1523.

## C A P U T V.

### Jodocus Treher Abbas V.

#### §. I.

*Jodocus à Maximiliano I. & Carolo V. Impp. Confirmationem  
Privilegorum, jus gladii, & facultatem nundinas celebrandi impetrat.*

Jodocus Väldensis Gryso, uno & dimidio suprà Curiam Rhœtiæ transalpinæ metropolin in ditione Ortensteiniana natus, post obitum Joannis in Abbatem Canonice eligitur anno 1507. Mense Martio, non sine omne, Martis tempora imminere Jodoco, licet aurea fuerint prima regiminis lustra. Recepto ejusdem mensis quarta decima die à subditis homagio, præsente adhuc Reverendissimo DD. Henrico Episcopo Adramyteno Antistitis Augustani Suffraganeo, prout testatur Instrumentum publicum Homagii, manum illicè misit ad fortia. Et quoniam, afferente Joanne Guler Equite in Historia de Rebus Rhœtiæ, vir erat ad majora quæque natus, omnes Abbatis optimi partes ita explevit ad amissim, ut amissis faciendi factus fuerit Successoribus, ne quis amissi alba quidpiam ficeret. Pacis amantissimus impedire haud valuit dissensiones, quas scientia & agendi dexteritas licet amicabiliter fovebant, dum quælibet in Jodoco primas ambiebat. Utraque tandem hoc effecit, ut Roggenburgum habuerit Abbatem prouidentissimum, Maximilianus Imperator Consiliarium prudentissimum. Ut tefta sua Euris Notisque ficeret impervia, Authoritate Cæfaris sarta tectaque voluit esse Dominus suæ Privilegia. Sed parùm Jodoco fuit, gratias antiquitùs datas videre innovatas; novas quoque exambiit, &, quod miraberis, pedo non contentus, etiam affectavit gladium. Ad hæc nundinari quoque voluit, ut, qui in foro poli omnes quærebant Christo lucrifacere, in foro fori lucrum bonorum ficeret. Quidquid petiit, impetravit, nempe jus gladii & patibula erigendi, in quibus penderet clepax Mercurius, ad altiora non natus, sed factus, & facultatem, solennes bis anno nundinas, minores hebdomadatim celebrandi Ingstadii. Utrumque hoc ac novum prorsus non tamen Jodoco imerito collatum Privilegium venit ab Augustissimo Romani Imperii Moderatore Maximiliano I anno 1513. die 12. Mensis Junii Wormatiæ in charta pergamenea scriptum, & Sigillo Cæsareo ex aureo & ferico nigri coloris filo pendente munitum, adjectâ 50. marcharum auri

auri pœnâ; & sub iisdem terminis confirmatum ab invictissimo orbis Christiani Hercule Carolo V. Nundinis bis annuatim celebrandis dies statuti erant tertia ante festum S. Galli Abbatis, & feria secunda Dominicam à lœtiis dictam immediatè sequens; hebdomadariis verò dies Martis. Attamen cautum simul esse voluerunt Imperatores nundinis aliorum locorum ultrà milliare non distantium. Quodad jurisdictionem altam Privilegio præterea insertum fuit, ut, quoties contingeret vacare Imperium, toties Abbas & Successores de novo ab Imperatore tanquam jus feudatarium peterent, agnoscerent, ac propterea consuetum juramentum, & fidelitatis homagium præstarent. Bis hoc præstitit Jodocus Abbas, prima vice in oppido Tüssensi ad manus Delegati Cæfarei Joannis Comitis de Montfort, vocato in testem & adstante Wilhelmo de Tirrheim in Zell, ubi tamen protestatus est Abbas, quod ejusmodi juramentum sibi tanquam Personæ Ecclesiasticæ, & non minus Romanæ Ecclesiæ quam Sacri Imperii Prælato nequaquam in præjudicium cedere debeat, ut liquet ex publico Hieronymi Winckelhofer Notarii Apostolici & Cæfarei Instrumento desuper anno 1513. confecto. Altera vice simile juramentum 22. Junii 1521. depositum coram Magistratu Civitatis Ulmensis.

Dum ita Jodocus jus zelat, justitium justitiae faciunt Weissenhornenses. Etenim oppido suo intempestæ noctis silentio egressi, & Roggenburgum delati, fores pulsant, nocturnis vigiliis Abbati significant, adesse, qui patibulum in via Ingstadium ducente erectum destruere vellent. Nec mora, ad locum digressi, in securi & asciâ patibulum (sic insultatorie loquitur Chronicum Weissenhornense) ita cadere fecerunt, ut non amplius surrexerit. Eadem violentiæ via nundinis Ingstadianis posuere metas; an jure vel injuriâ processerint, viderint ipsi, cum nobis haud constet, utrum Jodocus vel Successorum aliquis querelas super hoc detulerit Imperatori. Posthumi gratulamur nobis, quod patibulo destructo patibularios non teneamur alere in catenis.

### §. II.

#### *Jodocus ædificia reparat. Et Bibliothecam insigniter exornat.*

Et suum Jodoco cum lapidibus negotium fuit. Ruinam complura meditabantur ædificia, & manum expectabant fabri murarii. At forius fulcrum venit à brachio tornatoris, qui tam benè in murum fortissimum coëgit faxa, ut vel tempus voracissimum sihi metuere cœperit, an quondam in ruinam subsidentia esset visurum. Turres quoque in laudem suam bilinques reddidit, dum anno 1512. geminis magnæ molis campanis instruxit, quarum maxima hæc habet coronæ superiùs scripta. IESUS NAZARENUS Rex Judæorum titulus triumphalis defendat nos ab omnibus malis. Inferiùs: Maister Georg zu Ulm goſt mich, für Hagl und Schaur lit ich 1512. in Altera vero hæc leguntur: Sanct. Mathæus, S. Marcus, S. Lucas, S. Joannes 1512.

Præ cæteris verò immortalem nominis famam Jodoco peperit illustris, totaque Allemanniâ famosissima Bibliotheca, litterariorum & omnigenæ eruditioñis Codicum, tam à typis quam amanuensibus editorum numeroſa suppellectile instructa. Hanc mirabundus conspexit, suisque inseruit Diariis Layvelius Doctor Sorbonicus, S. Mariae in Nemore Abbas, & totius Sac. Ordinis nostri Vicarius Generalis. Nullibi locupletiorum vidisse, nullibi picturis & lemmatibus splendidiorem testatur rei literariæ censor optimus. Ingenti labore & immensis sumptibus ex omni gente & lingua Codices collegerat Jodocus. Ordinatim in capsulis juxta cujusque disciplinæ Authores & materiam per classes diviserat, & unamquamque cistulam T'extrius illa ætate celeberrimus Poëta versibus exornavit. Rem, quia antiquitatem, commendat, Lectoris oculo subjicimus.

Primo loco, propè januam ad sinistrum latus visebatur imago Salvatoris è Cruce penduli, cuius lateribus adstabant Judæorum Synagoga, & nata recens Ecclesia. Inscriptio hæc erat: *At ubi venit fides, jam non sumus sub paedagogo. Galat. 3.*

Carmen inferiùs appositum hoc erat.

Ipsa ego, quæ verum suscepit Ecclesia Christum,

Suspicio placidis vulnera quinque genis.

Cæca, maligna, excors, & nunquam credula veri,

Tecta caput, Christum sic Synagoga nego.

Gratia post legem subiit, quod iussio legis

Non potuit, cœlum gratia sola dedit.

In primo librorum repositorio collocabantur tum veteris tum novi testamenti volumina. Pictura duplex erat, Moysen altera & Davidem, altera SS. Joannem & Matthæum Evangelistas exhibebat cum hac inscriptione: *Lex per Moysen data est, gratia vero per Christum. Joan. 1.* inferius autem legebatur:

Prima jacent summis sacrata Volumina Cistis,  
Tædia quæ pellunt, dantque salutis opem.

Repositorium secundum obtinebant quatuor Ecclesiæ Doctores, posita hac supercriptione: *Docti fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad justitiam erudunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Dan. 12.* infrâ.

Quatuor hic stabiles fidei celebrato columnas,  
Qui tibi dant gravibus mystica sensa libris.

Tertium occupabant Theologi Scholastici, apposita duplii icona, primâ nimis ruin SS. Thomæ Aquinatis & Bonaventuræ, alterâ Magistri Sententiarum & Gerfonis, cum hac epigraphe: *qui didicerunt justa, invenient, quid respondeant. Sap. 6.* Subscriptio.

Veridici illustrant sublimia scripta Magistri,  
Tertia Doctores pulpita qui retinent.

In quarta sede locabantur Theologi Morales, sub expressis hinc inde nominibus S. Antonini, Alexandri de Ales, Alvar. Vincentii, Romerii de Pisces &c. velut dicentium: *Multa dicimus, & deficimus verbis: consummatio autem sermorum ipse est. Eccl. Subscriptio* hæc corresponebat:

Hic breviter collata legas sacra omnia summis,  
In quibus est, quidquid pagina sancta docet.

In prima parte quintæ Sedis reconditum erat Jus Canonicum: in altera Jus Civile. Visabantur illic depicti S. Clemens Papa, & Panormitanus: istic verò Justinianus Imperator & Tribonius, vultu defixo in Justitiam, Virginis habitu columnæ infistentem, dextrâ tibrum, sinistrâ copiæ cornu gestantem, sub hac inscriptione: *Diligite justitiam, qui judicatis orbem. Sap. 1.* Subscriptio.

Juris, & æquarum numerosa volumina legum,  
Et veterum invenies dogmata sancta Patrum.

In sexta sede reponebantur Historici. Pictura Livium, Historiæ Præsidem exhibebat, scripto ad illius caput hoc versu:

Tempora describo, Regumque heroica gesta.

Conspiciebatur ibidem Tempus & ponè illud Veritas. Tempus alatum, suis alis velut præteritum, dextrâ futurum expansum, sinistrâ clepsidram tenente, præsens comonstrans. Veritas columnæ infistens alterâ manu librum, altera oculum præferebat, subiecto hoc carmine:

Romulidum Historias, Judæas, & sacra gesta,  
Annalésque tuos gens Alemanna legas.

Septimam sedem obtinebant Theologi Mystici, quorum princeps S. Patriarcha Norbertus, gerens ante se Regulam Ordinis, & velut pro concione dicturus, ita Fratres suos affatur:

Candida turba, Dei vestigia prisca sequentes,  
Lethiferum diræ vincite carnis opus.  
Volvite solerti Divina Volumina sensu,  
In quibus est virtus, gloria, vita, salus.

Inferius adscriptum erat hoc distichon:

Divini eloquii præconia sermocinantes,  
Christicolis capite hinc pabula larga piis.

Alius insuper effigiatus videbatur Præmonstratenis Canonicus, velut ex ambone ad populum verba facturus, cum hac inscriptione ad illius Caput apposita: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam; annuntia populo meo scelera eorum.* Et infrâ subscriptum legebatur:

Temporâque, & Sanctos gravibus extollere dictis  
Qui volet, hæc ansam materiamque dabunt.

Octavam sedem possidebant Philosophi, depictis superius Aristotele, Isocrate, Ptolomæo & Alberto Magno, cum hac subscriptione:

Hic Sophiae cultas offendes triplicis artes,  
Astrorum cursus, Pæoniósque modos.

No-

Nonam sibi vendicabant Oratores, Poëtæ, Grammatici, appositis iconibus Ciceronis, Virgilii, Prisciani, & hac subscriptione:

Rhetoricen adjuncta docet Divina Poësis,  
Cum quibus hic pariter Grammata culta leges.

In decima vagabantur Joco-Serii, & cæteri Miscellanei, adjuncta superius epigrapha: Joca, seriæque omnia sapientem nosse decet. Inferius:

Ultima congeries farragine mixta librorum  
Multæ tenet levibus seria juncta jocis.

Alterum Bibliothecæ latus exhibebat Deiparam Virginem, Sanctis Paulo & Catharina stipatam. Divam Theotocon sic alloquitur Poëta:

O Dea, virgineo gremio complexa Tonantem,  
Quæque potes magnum flectere sola Jovem.  
Respic mortales placidis, pia mater, ocellis,  
Excruciant variis quos sua facta modis.  
Præsidium lapsis sola es, lux unica cæcis,  
Supplicibus sola es portus, & aura reis.

Apostolum sic affatur:

Ad Christum potuit rigidas convertere gentes  
Eloquii, Paulus, buccina clara sacri.

Et de S. Catharina sic canit:

Virgo decens Catharina Deo, charissima Martyr,  
Artibus omnigenis, & Jove plena facro.

Ultimum Bibliothecæ latus exornabant insignia Comitum de Bibereck & Hohenzol-leren, Cœnobii fundatorum, & Jodoci Abbatis, qui hoc Sapientiæ armamentarium instruxit. Prædecessores nostri hoc illi gratitudinis monumentum posuerunt.

Qui dedit hanc doctis solatia Bibliothecam,  
Præful in hac quintus sede Jodocus erat.  
Quæ prius obscuro stetit exhorrenda sub antro,  
Nunc nitet à tanto splendida facta Patre;  
Cui placuit nullo dispersos ordine libros,  
Quo cernis, pulchro disposuisse modo.  
Qui nova Codicibus addens permulta vetustis,  
Expetit augmentum postera turba tuum.  
Tempore quo quintus Aquensi in urbe coronam  
Carolus accepit, regia sceptræ ferens.

Vix non irreparabili damno barbaries Sueca, & tumultuantum rusticorum furor, fanis & profanis perinde illudens, Bibliothecam hanc partim donavit flammis, partim discerpfit unguibus. Sed novam antiquâ pulchriorem videbimus brevi, sedente ad clavum Abbate doctissimo, & Doctorum fauore maximo.

### §. III.

#### *De seditione Rusticorum, morte & sepultura Jodoci Abbatis*

Münzer, incredulus ille Thomas, fuit, qui suasit & persuasit rusticis, ut suspensò ad palum aratrò à latere pendere facerent gladium. Quantis, prò dolor! malis tumultuantum furor Teutoniam nostram involverit, evolventi libros ad oculum patet. Ultimum vix non excidium subit Trojana quoque Arx nostra Roggenburgensis, ob- & insidente milite græcæ fidei rustico. In pedibus querenda fuit ubique Dominis salus, dum servi dominati sunt nostri. Unde Jodocus etiam Abbatem occultare necessum duxit, fugâ periculo caput subducens. Abbate sic dilapo, subito illapsa est rusticorum turba, & more Turcis consueto in sacra & sancta enormiter deserviit. Etenim esculenta & poculenta vel consumpta, vel ablata, vel, quæ auferri non poterant, conculcata, adeò ut solius tritici modios ultrà mille & quingentos secum rapuerint; pecudes & pecora abacta, templum profanatum, altaria eversa, Sacrarium seu Tabernaculum effractum, Ciborium cum Dominico corpore, Calices, paramenta Sacra rapta, confissa, dilacerata: organum contusum, Bibliotheca libris optimis spoliata. Quin in fumum procul dubio abiisset Roggenburgum, protervo quodam homine ignem subjiciente, nisi favillam superveniens indigena suppressisset. Vix primis discedentibus,

Tam. VI. Collect. Monast.

X

sue.

successerunt alii, ut, quod non fecerunt barbari, facerent barbarini. Eò usque ascendit effrons hominum audacia, ut illorum unus, nomine Georgius Ebner, origine Ingstadianus, ædes Abbatiales occupaverit, & sese Abbatem dixerit. Sed per breve fuit ejus regimen, nam nulò post captus, & Bubeshemium abductus, qui caput affetabat mitratum, capite minutus, capitofus esse desit. Alius quoque, Petrus Sauenthaler dictus, Ehingæ primò ad trochleam prolongatus, dein sub gladio minoratus est. Præterire non decet, quamvis recensere haud delectet, unum de Religioso gremio nostro, videlicet Georgium Maaler, ad partes rusticorum defecisse. Is quā neficio viā interceptus, & Urspergam abductus, ibidem in carcere contabuit, prout ex literis infelicem obitum denuntiantibus constat. Falsum proinde est, quod asserit Chronicus Weissenhornense, Georgium clam ē carcere profugum, ad Lutheri doctrinam transvolasse.

Tandem furore debachantium rusticorum compresso, ad lares proprios reddit Jodocus, defædatam Sponsam suam & omnino decoloratam denuò amabilem redditurus. Sed laborantem mors intercepit, & à labore vocavit ad requiem 21. Maji anno 1528. Sepulchro, quod sibi vivens præpararat, lugubre istud encomium appinxere filii.

Christo Optimo Maximo,  
Et perpetuae memoriæ sacrum.  
Viator adsta, & perlege.  
Reverendissimus in Christo Pater & Dominus  
D. Jodocus  
Divæ Mariæ Roggenburgensis Abbas V, ex Infulatis III,  
Hoc sibi saxum Antistes vivus posuit.  
Is primùm ex patria Veldis, Dominii Ortenstein,  
Curiensis Diœcesis,  
Roggenburgum puer decennis eductus,  
Candidæ Religioni inauguratus est.  
A suscepta Religione 27mo. anno Præfusatui meritus præficitur,  
Quem multa cum laude annis 19. administravit;  
In quo præsentium non nulla ædificiorum in fundamentis,  
Pleraque substructionibus illustravit.  
Maximiliano Cæfari à Consiliis, inter præcipuos adamatur.  
Moritur tandem pius Pater salutis anno MDXXVIII  
Vixit annis LI, mensibus VIII, diebus VIII.  
Cujus defæcatissimum spiritum  
Sancta & Individua Trinitas in cælis exosculetur, Amen.

Huc huc deflexo transibis poplite, Lector:  
Jodoci hic recubant molliter ossa Patris.  
Qui patria ē Veldis, Curiensi eductus ab agro,  
Parvulus in nostra constitit æde puer.  
Et propè ter denos multa cum laude per annos  
Perdurat parochus plebis, & inde Prior.  
Donec pro meritis dignissima præmia natus,  
Ut fieret quintus Præful in æde sua.  
Qui veteres mutans prudenti examine sedes,  
Sordida quæ fuerant, candida tecta facit.  
Hic pius & solers, sapiens in rebus agendis  
Dive, tibi charus, Maximiliane fuit.  
Hinc bona posteritas placeat miserefcere, & ultrà  
Dicere, sit requies & tibi vera salus.

#### §. IV.

#### *Calviniani dirè graffantur in Canonias Filiales.*

Imperat græca fides, ubi exulat vera fides, & plerumque simul Christi jugum ac pionum jugulum heterodoxa frangit perfidia. Suo hanc veritatem sanguine signavit, qui caput, dum Gryfones fidem, amisit Theodulus Schlegel Abbas S. Lucii V, & Successor Joannis. Antea publicus Ecclesiæ Cathedralis concionator, graviter in vita detonuit, vitiosorum verò odium incurrit. In Abbatem electus hospitiō peregrinos,

sub-

subsidiō pauperes, consiliō patriotas favit. Sed dum illi cāperunt audire emissarios Orci, commissarius Dei odio fuit. Ad tribunal citato per sententiam Cumano asinō dignam interdicitur, ne ultrā pulset compansas, aut Sacra celebret. Appellans ad comitia Theodulus, non curat interdictum. Offensa Calvini turba, dum prima Januarii nocte somnum capit Præful, capit Theodulum, ut caperet inter vincula, diem instare ultimum. Decies appensus trochlear, decies immotus peritit in fide. Tandem lata sententia, ut Theodulus depeculator S. Lucii, proditor patriæ, & hostis civium (triplex est mendacium, nullum civile) capite plecteretur. Paslus est Abbas gloriosus die post festum SS. Vincentii & Anastasii, omne nequaquam fallace, cum Vincentio fortiter viciisse, & felicem cum Anastasio anastasin habuisse in cælis. Abbatte sic decollato hæretici Curienses bona S. Lucii invaserunt; Canonici verò bonis spoliati, sed quod optimum habebant, fidem servare intenti ad Ecclesiam Benderensem confugerunt, S. R. Imperio subjectam.

Excidio Churwaldiae prælusit interitus Præposituræ S. Jacobi in Brettigoia, ubi constitutus anno 1512. à Gebhardo Abbe Churwaldensi Præpositus, cùm in honore esset, non intellexit, & comparatus jumentis similis factus est illis; nam Monasterium & Ordinem deseruit, uxorem duxit, Curiam secessit, ut impensis foveret cutem. Et tamen iste nequam in cute dicebat se Bartholomæum. Frustra dein Gebhardus tentavit novum substituere Præpositum, perversis incolis sanctiora quævis proposita eludentibus & elidentibus; sicque hæreditas Domini versa est ad alios, & S. Jacobus in suo peregrinantibus habitu peregrinus factus est in Brettigoia.

Suum quoque Adelberga sensit Paridem. Cūm enim anno Christi 1525. Thoma Münzer nec unius teruncii homine imperitam Rusticorum plebellam concitante, plura Germaniæ cœnobia arcésque excisa fuissent, eodem turbine & nobilis Adelberga conflagravit 6. Kalendas Maji, quam dein Leonardus Abbas magno opere refecit. Sed haud stabilis ea fortuna fuit; nam Uirico III in Lutheranorum castra transfugiente, novis illa malacia motibus agitata, Catholicæ rei extremum diem minitari cœpit. Erat Ulricus turbulenti & novandarum rerum studiofissimi animi Princeps, unde & à Suevico federe Caroli V. auspiciis ditione bis fuit ejectus, omni interea dominio ad ipsum Carolum ejusque germanum fratrem Ferdinandum devoluto. Ulricus postea nido suo restitutus, contra datam Ferdinando fidem proscriptis mox Catholicis Lutheranos & Zwingianos Concionatores præfecit cathedralis, Monasteria complura depopulatus. Hisce fluctibus etiā Leonardus involutus, Adelbergense solum vertere jubetur. Irato igitur mari tantisper cedens, Göppingam secessit, ubi, cùm alii passim Prælati etiam carceribus recluderentur, Leonardus ob egregia facta, venerandamque canitiem tanti habitus est, ut vietus ipsi & reliquo cultus liberaliter à Duce suppeditaretur, trienniō Canoniā suā extorris Göppingæ mortuus est relictō exilio sui non minus, quam virtutis & egregiae in agendo dexteritatis hærede Ludovico Werner, de quo C. sequenti plura dicemus.

### §. V.

#### *Annotationes.*

Comitiis anno 1529. Esslingæ celebratis Roggenburgi nomine interfuit Bernardus Besserer Ulmensis. Idem deputatus est 1527 ad Comitia Ratisbonensia.

Non injucundum erit audire, quanta sollicitudine inter exorientes Religionis turbas Ordo Præmonstratensis pro conservanda Disciplina Regulari sudārit; referemus itaque litteras à Capitulo Generali ad Amplissimum Visitatorem Provinciæ nostræ emanatas.

Virgilius de Cymetis SS. Theologiæ Professor, permissione Divina humiliis Abbas Præmonstratensis, & Abbatum ejusdem Ordinis Capitulum Generale Venerabili Dilectōque nostro Leonardo in utroque Jure Doctori, eadem permissione Monasterii Adelbergensis Abbatii benè merito salutem & piæ Paternitatis affectum. Cūm quis sibi legationis commissæ adimplere nequeat officium, æquitatis ratio suadet & approbat, ut tales in suæ alleviationis partem assumat, qui vices ejus possint laudabiliter adimplere. Iccircò nos de tua discreta scientia & laudabili diligentia non immeritò confidentes, in virtute salutaris obedientiæ firmiter & districtè tibi præcipimus & præcipientes mandamus, quatenus assumpto aliquo nostri Ordinis Zelatore Prælato litterato, Deum solum præ oculis habens, diligenter & attentè visites & visitando reformes omnia & singula

Monasteria, Personas, & loca dicti nostri Ordinis, tam in spiritualibus quām in temporalibus, & tam in Capite quām in membris, in Circariis Sueviæ & Bavariæ constitutas & constituta, corrigendo & reformando in eisdem Monasteriis, quæ secundum Deum, Privilégia, Constitutiones, & Statuta Ordinis nostri noviter modificata, corrigenda & reformanda repereris: potissimè facias à singulis prædicti Ordinis nostri personis tria Religionis essentialia Vota firmiter & inviolabiliter observari; habitum decentem cum rafura debita deferri, & tam habitum vellerium & cantus quām aliarum curiositatum & variorum colorum deformitates evitari. Confessiones omnium personarum Ordinis nostri in dictis Circariis & earum partibus existentium, ad vos recursum habentium audiendi, ac easdem tam à sententia Excommunicationis & Juris in casibus nobis permisso, quām à suis peccatis, humiliter & devotè confessis, absolvendi, & eisdem pœnitentias salutares injungendi. Nec non cum subditis Ordinis nostri super voce & stallo obedientiâque nominata ad supplicationem Prælatorum seu aliquorum proborum virorum, & alias secundum exigentiam meritorum eorum, & ad omnes pristinos honores actusque legitimos restituendi; Apostatas & fugitivos nostri Ordinis ubilibet capiendi, seu capi & arrestari faciendi: ac etiam super Irregularitate in casibus nobis permisso cum subditis Ordinis nostri in jam dictis Circariis, & etiam super minore ætate, ut ad Presbyteratus Ordinem promoveri possint, de duabus annis dispensandi, ipsisque dispensatis litteras suarum dispensationum ad Reverendos Dominos Episcopos, aut Suffraganeos ordinarios ut praesentes, concedendi. Si aliquos nostri Ordinis Religiosos hæretica, seu Lutheria labi contaminatos in jam dictis Circariis, quod absit, compereris, eos ad veram catholicam fidem reducendi, eosque exhortandi, ut prædictæ fidei Catholicæ & Christianæ adhæreant firmiter, & credant, & eos, in quantum peccaverunt, secundum exigentiam eorum delictorum puniendi & corrigendi &c. &c. En qualis cura, ne lupus disperget oves. Neque frustranea fuit; quippe non constat, vel unum (suprà memoratum excipe Bartholomæum) ex nobis etiam in illis Monasteriis, quæ cum omnibus bonis suis ad manus alienas devoluta sunt, ab avita fide discessisse.

Ex his litteris colligo, ampliorem illo tempore potestatem fuisse Capiti Generali, cùm non ipse solum super ætate ad Ordinem Sacerdotii requisita dispensare potuerit, sed etiam aliis eandem potestatem subdelegare, ita ut quo ad annos omnino duos dispensare concederit Visitatori Circariarum Sueviæ & Bavariæ.

## C A P U T VI.

### Joannes Mayer Abbas VI, hujus cognominis I.

ſ. I.

*Subditorum gravaminibus & bono consulit: emit Tafertshoven.*

*Ratione Parochiarum sibi prospicit. Pie moritur.*

**N**on immeritò mortem Jodoci luxit Roggenburgum, sed metas luctui posuit, dum Joannes Roggenburgo illuxit, quem Bucelinus à Corporis & animi dotibus longè præstantissimum, moribus humanissimum commendat. Bremaci tenuissimo Urspergensis ditionis vico natus, etiam sub casa vilissima magnos generari spiritus exemplo fuit, quando ob singulares animi dotes anno 1528. mense Junio Sedi Abbatiali impositus est. Nemo non amavit Joannem, utpote quem eximia pietas amabilem omnibus fecit. In corrigendo tam lenis fuit, ut Pater audiverit etiam tunc, quando virga aut ferula iudicem esse prodidit, & problema semper fuit, an filii castigati an dolor Patris castigantis fuerit major, certè utriusque fuit maximus, filii, quod castigari meruerit, Patris, quod castigare debuerit.

Homagium à Subditis præstitum est Joanni 14. Junii, præsentibus Thoma Abbe Urspergenfi & Udalrico Præposito Wettenhusano. Gravatos equidem fese querebantur Servi paulò ante rebelles; at ubi gravamina legit Joannes, querelas posuere, dum verbis & re colligere datum, nil nisi justa præcipi, injustum nihil exigi. Gratiam quoque spopondit, qui tumultuantum vexilla fecuti fuerant.

Qui bono omnium invigilabat, etiam singulis intendebat. Udalricus Zeiler ditione Roggenburgensis homicidii reus inventus, judicatus, & damnatus erat Burgoviæ. Post mortem bona relicta sub arresto posuit supremus Marchionatûs judex, haud dubiè fisco adjudicanda. Querelas desuper Christophoro de Stadlon Principi & Episcopo Au.

Augustano tanquam legitimo Marchionatū oppignorati possessori detulit Joannes Abbas, evicitque, ut Arresto mox sublatō Udalrici hæredes bona pacificè inter se dividere potuerint.

Oeconomiam Joannis quod attinet, penè dixisse, fuisse temerariam. Depopulata jacebat, & splendore suo exuta Canonia nostra, ut quæ formosa prius fuerat Rachel, modò lippam decore non æquaret Liam. Clamabant lapides opem, inclamabant operam templa, manum divitem desiderabant Sacraria & Bibliotheca, ubique desiderabant omnia: Et tamen ausus est Joannes desiderare nova. Sed quid miramur? Qui novum ædificiis dirutis splendorem, majorem templis honorem, paramenta Sacraria, decorem libraria brevi brachio restituit, manu non abbreviata novis dite-scere bonis non ignoravit, eandem occasionem, quæ paulo ante Roggenburgo fatis perniciofa fuit, pro damni resarcitione optimam ratus. Viderat nempe Præful oculatissimus, oppida colonorum penuriā laborare, agros desolatos, & vel ideo minori pretio comparandos. Unde adjectit animum, pagum Tafertshovensem Canoniae sue bonis unire. Jaſta in bonum Joannis cecidit alea, dum Gaudentius de Rechberg, quid juris & bonorum in Tafertshoven possidebat, pro sexcentis florenis Rhenanis Monasterio vendidit. Instrumentum venditionis, in quo jura & bona omnia singillatim recensentur, in Archivio nostro asservatur, subscriptum à Gaudentio de Rechberg venditore, Conrado de Rot in Ichhausen, Regiae Majestatis Hungariae & Boemiæ Consiliario, Marchionatū Burgoviensis Præfecto Sylvarum: Erhardo Vöhlinc de Frickhausen, Tüffen, & Neuburg Præfecto in Gundislingen: Joanne Besserer Seniore Gynzburgi, Gaudentii Affine tanquam testibus, & proprio uniuscujusque sanguillo appenso. Contractus iste emptionis venditionis celebratus est anno Millesimo quingentesimo trigesimo, die Lunæ post Dominicam Judica.

Post hæc Ordinis nostri Privilegiis consultum voluit Joannes. Pridem illa oblique solū oculo notabat Venerabilis Clerus sacerdotalis, utpote quorum tenore paræciis nostris pedem inferre prohibebantur. Attamen bonis impinguari alienis cupientes, importunis precibus Carolum V. Imperatorem sollicitabant, ut ad ejuscemodi parochias nominarentur. Et verò contigit, ut vel primas preces interponeret, vel sub alio quovis titulo Clericos sacerdtales presentaret Cæsar, quem satis callidè celabant Ordinis exempti jura & privilegia. Itaque in unum convenere Reverendissimi Abbas Thomas Mang Urspergensis, Joannes Loinger Rothensis, Joannes Mayer Abbas noster, Jacobus Murer Minorauiensis, Joannes Witmayer Sorethensis, Henricus Stolzlin Marchtallenensis, & Leonardus Dyr Adelbergenis, communique Decreto sanxerunt, supplices ad Imperatorem dirigere litteras, exposituras, quemadmodum locus esse non possit primis precibus aut Nominationibus ad parochias Monasteriorum nostris annexas, unitas, incorporatas sequentibus ex causis: 1. quia præfatorum Monasteriorum Abbatibus pro tempore existentibus à Sede Romana specialiter concessum esset, parochiis unum ex Canonici suis præficere, & pro libitu revocare. 2. quod Clerus sacerdotalis privilegio Apostolico esset inhabilis ad possidendam parochiam, Ordini incorporatam, & usque modò in quieta possessione fuisse Ordo Præmonstratensis. 3. allegabant, ejusmodi primas preces aut Nominationes à nullo hucusque Imperatorum emanasse. 4. rei Divinæ damnum esse timendum, eo quod præbenda modica ne vix quidem sufficiens videatur Clericis. 5. perpetuo hospitum numero quasi in tabernas publicas migratura Cœnobia. 6. hæc ipsa in bellis Helveticis, Bavaro, Würtembergico, gallo-belgico multum esse gravata, aut omnino. 7. tumultuantum rusticorum furore diruta, flammis donata, atque ad incitas redacta. Octavum denique & ultimum motivum adducebatur omnium & singulorum privilegiorum, immunitatum, jurium &c. Confirmatio ab ipsomet Carolo & Prædecessoribus facta. Non dubitamus, quin Carolus æqui rectique tenacissimus justissimis Prælatorum postulationibus faciles aures, Clericis ob- & subreptitiæ parochias quærentibus repulsam derit. Anno 1533.

Inter hæc & alia in maximam Canoniæ nostræ utilitatem gesta cùm ultrâ annos quindecim pedum tenuisset, ut nemini quidquam deberet, etiam naturæ debitum solvit, nexus Carnis solitus 7. Novembbris Anno 1543. Lapis ejus memoria positus propè Sacrarium sequens epitaphium exhibebat.

Deo Maximo Æterno , Christo , pietatique  
 Devotissimus Pater Joannes Maier Roggenburgensis Antistes dignissimus ,  
 Bonorum tutor fedulus ,  
 Malorum placidus corrector ,  
 Ac rei domesticæ diligens administrator  
 Hoc marmor memoriæ sue vivus posuit  
 Rerum potitus annis 16.  
 Naturæ satisfecit anno ætatis sue LXII ,  
 Nostræ Salutis 1543. 7. Novembris.  
 Tendimus huc omnes.

Alius autem lapis , qui primum gradum constituebat ad ingressum Ecclesiæ Septen-  
 trionem versus ita loquebatur :

Joannes Maier  
 Abbas hujus Cœnobii tertius  
 Obiit anno gratiæ 1543.

In quo si nomen numerale *tertius* ad Joannem referas , amphibologia inscriptionis  
 sublata est , quia sub nomine Joannis utique *tertius* fuit.

## §. II.

### *De Statu Ecclesiarum Churwaldensis & Adelbergensis.*

**P**ræpositurâ S. Jacobi in Brettigoia violenter extinctâ , etiam agônicare cœpit Chur-  
 waldia. Quippe , vivo etiamnum & calamitatis spectatore Gebhardo Abbe IV ,  
 annis 1527. & 28. heterodoxi bona invaserunt , portisque ablatis Conventum Regula-  
 rem in diversorium & prætorium mutarunt. Cùmque anno 1536. 5. Augusti Gebhar-  
 dus è vivis excessisset , atque unicus duntaxat Conventualis isque senex , Martinus Dufft  
 nomine , superesset , jure eligendi seu nominandi Abbatem ad Abbatem Roggenburgen-  
 sem utpote Patrem devoluto , Joannes Præful noster in Antistitem Churwaldiæ vocavit  
 Florinum Jannut Canonicum Sanct. Lucensem & Parochum in Benderen. At cùm au-  
 thoritate Patris-Abbatis Subprior Roggenburgensis deputatus , ut Florinum in po-  
 ssessionem mitteret , Churwaldiæ adventasset , rebelles subditi , qui per vim iniquissimam  
 jus electionis sibi arrogare volebant , pulsatis etiam campanis turbas concitârunt , &  
 neo-electum furori lœse subducere , ac discedere coegerunt. Post ejus discessum tu-  
 multuantes rustici ad electionem pseudo-abbatis processerunt , pacificè , si Superis pla-  
 cet , electum altari imposuerunt , eidemque circum altare stantes inter pocula & com-  
 missationes applauferunt. Netario hoc ausu detecto tantum interveniente Regia Au-  
 thoritate apud Gryfones effectum est , ut expulso Pseudo-Abbate Churwaldenses re-  
 ceperint Florinum , positis tamen conditionibus admodum inquis. Sene centi propria  
 denuò authoritate quasi Coadjutorè addiderunt Martinum Buff , prius Conventualem ,  
 qui potestate & sigillo Abbatis abusus bona divendidit ac distraxit , egregius omnino  
 coadjutor , qui plumas vendidit , ut arctum , quo viveret Florinus , panem & aquam  
 coëmeret. Post dies sat malos bonum denique , licet ultimum vidit Florinus 14. Octo-  
 bris anno 1548. postquam per tria non integra lustra pastorem sine gregie , Regem si-  
 ne plebe egerat , vir melioribus fatis dignissimus.

Diximus suprà , Leonardum Dyrium calamitatis & miseriæ hæredem reliquisse Lu-  
 dovicum Werner. Hic in ipsa Ecclesia Roggenburgensi , ubi exul agebat , electus ,  
 annis duodecim expectare debuit , donec in amplexus Rachelis suæ admitteretur , Ulri-  
 co Würtembergiæ Duce fores & aditum præcludente. Tandem ubi Dux Cæsareis ar-  
 mis profligatus , diem sibi à Carolo dici ad Augustana Comitia videret , focum metu-  
 ens , forum declinare voluit , profugus ad Helvetos. Verùm armata manu Würtem-  
 bergiæ appropinquante , mittit Augustam nuntios , quibus excusaretur , quod statuto  
 menstruo non comparuisset , adversa valetudine præpeditus. Cùm igitur in Comitiis illis  
 feriæ actum esset , ut Prælati Cœnobii suis extorres restituerentur , suus etiam Adel-  
 bergæ redditus est Ludovicus. Triennio post moritur Ulricus , & succedit Christophorus ,  
 patre nihil in Catholicos æquior , nisi quod ille aperto Marte pugnaverit , hic vul-  
 pino pede incesterit. Ludovico enim Adelbergæ Abbatii imprimis præcipit , ut permis-  
 so tantisper in suo Cœnobia Sacrorum Catholicorum ritu perficiendorum usu , nulla dein-  
 ceps in parochiis eidem Monasterio subjectis faceret. Deinde novis legibus novoque  
 vivendi modo Ludovicum cum suis adstringere tentavit. At pro eo , quam Ordini suo  
 fidem juraverat , generoso animo Principis conatui refragatus est Abbas , datis etiam ad  
 Chri-

Christophorum litteris. Constanti hoc responso Dux motus ab omni deinceps vi manus abstinuit, & Ludovicus usque ad annum sexagesimum quintum supra Mille quingenos Adelbergæ laudatissimè præfuit, tūmque Catholico ritu inunctus beatam cælo animam reddidit nonis Januarii 1565. ætatis suæ 75. Defunctò Ludovicò, qui supererant Adelbergæ, Præmonstratenses trepidare statim & fugam meditari cæperunt, sed à Joanne (alius est ab eo, cuius nomen hoc Caput præfert) Abbe Roggenburgensi aliquamdiu cohibiti, donec novæ contra ipsos prodirent molitiones. Et verò Christophorus Princeps nil amplius cunctandum ratus hominem ipsis alienæ religionis, Christophorus Bündner, Abbatem præfecit, quem atratum lupum oves candidæ pertimescentes, neque humanitùs ullum sibi auxilium adfuturum sperantes, denique ad Matrem suam Roggenburgensem Ecclesiam redierunt. Atque in hunc modum per varios casus per tot discrimina rerum corruit nobilis ille mons Adelberg; faxit Deus! ut rursum erigatur.

## §. III.

*Annotationes.*

Christophorus ex illustrissima & hodie dum ditissimā Comitum à Stadion familia oriundus, in Episcopum Augustanum LV eligitur anno 1517. moritur 1543. cùm tempore illo etiam in non nullos Principes principatum teneret Lutherus, & vexilla illius potiores passim Sacri Romani Imperii urbes sequerentur, etiam Augusta Vindelicorum cum primis schismati manus dedit, infastos sibi oriri soles vidit Christophorus. Nam posteaquam anno 1520. ad conservandos suos Pastores Dilingæ Synodus indixerat, ad quam 160 Presbyteri confluxere, ipsem cum quadraginta Canonici Augustæ pulsus anno 1537. die 18. Januarii tempore pomeridiano Dilingam migravit. Episcopum secutus Præpositus S. Crucis cum suis Canonici Regularibus æquè illuc concessit. Sancto Mauritiani, tribus exceptis, Landspergam, Moniales ad S. Ursulam pariter Dilingam abierunt. Abbas S. Udalrici cum suo Conventu præter unum Monachum in arcem suam Wittelsbach se recepit. Præpositus S. Georgii cum suis Guggenbergam, Abbatissam verò S. Stephani cum suo Gynecæ Höchstadium discessit. Virgines Religiose ad S. Catharinam civili custodiæ & protectioni se submiserunt, ea propter in urbe perstiterunt.

Gaudentius de Rechberg Alberti junioris natu minimus (si Lexico universali habenda fides ab hodiernis comitibus de Rechberg tanquam communis & prima familiæ radix honoratur, licet Rechbergii & Pappenhemii ut communem utriusque familiæ patrem ac originem venerentur Ernestum Marechallum Calatinum, quem anno 1170 mortuum afferunt Scriptores. Gaudentius ergò noster, à quo pagus Tafertshofensis titulo emptionis ad Canoniam nostram pervenit, prioris Gaudentii nepos erat, & ille respectu hujus nostri Gaudentii avus; nam Gaudentius hic natus ex Joanna de Landau matre patrem habuit Georgium primi Gaudentii filium. Si nosse cupis, quā potentes olim in bonis fuerint Rechbergii, citatum consule Lexicon verbo *Rechberg*. Varias interim passim fuisse Rechbergiorum familiam temporum injurias & vicissitudines, ex eo liquet abunde, quod eorundem bona, quæ tam solerter non minus quā cumulatè ubique locorum collegere proavi atavique, in primum, ut ita loquar, penè redierint nihilum.

Tempore emptionis Pagi Tafertshofensis Clericus Sæcularis administrabat parochiam, qui singulis annis octo scaphas filiginis vi contractus ac in recognitionem juris Advocatiæ Roggenburgum transmittere tenebatur. Illò anno circiter 1560 defunctò à Joanne Mayer hujus cognominis II è gremio Roggenburgensi Tafertshofium destinatus est parochus, & hæc animarum cura in hodiernum usque diem demandata, manet Canonici Roggenburgensis.

Porrò de Sylva, quæ vocatur *der Heiligen Waldt* & inter cætera bona à Rechbergio divendita continetur, quæstio, utrum ad Sanctum in Tafertshoven vel ad Monasterium pertineat, diu multumque agitata, nuperrimè tandem Jurisconsulto celeberrimæ Academiæ Dilinganae soluta, & Sylva Monasterio adjudicata est.

De cætero nomen Tafertshofen variè in documentis scribitur, scilicet *Taverthöfen*, *Taberthoven*, *Tbauertshoven*, *Taffertsbofen*.

## CAPUT VI.

Georgius Ermann, Abbas VII, Sueviæ & Bavariæ Visitator.

## §. I.

*De Privilegio Fori Roggenburgensis, & tutela Austriacæ  
Domui delata.*

**V**ix justa funebria Joanni persoluta fuerant, dignum & justum filiis videbatur orphani Salvatoris Festa celebraret, novo copulata Sponso. Dies 20. Novembris dedit dignissimum, quando actum electionis dirigente Reverendissimo Thoma Abbatे Urspergensi, assistentibus Amplissimis Conrado Rothensi, & Joanne Marchtallensi Abbatibus, unanimi votorum calculo in Abbatem VII electus est Georgius Ermann. Virtus, pietas, & Disciplina Regularis amor tantus in Georgio eluxit, ut illustrissimum totius Ordinis Caput judicaret, fore, ut erecta semper cervice staret Provincia Sueviæ & Bavariæ, si hujus tam Capita quām membra colla subjicerent Georgio, denominato utriusque Circariæ Visitatori, quod munus, usque dum obiit, gloriose obiit, ita quidem, ut, qui externis intendebat sollicitus, providus simul attenderet ea, quæ domi suæ vel ægebantur, vel agenda fuerant.

Forum judicii Roggenburgo Joannes Ellrang Præpositus XVI, foro animam Georgius Mahler Abbas III, qui leges & Statuta vel articulos omni sapientiâ conditos condidit, litibus protelatis finem dedit, quo de loquimur, Georgius Ermann. Adverterat, quod, licet Justitiæ sacrata trutina haud amplius penderet à manu Judicum in utramvis partem magis propendentium, & jus diceretur cuiilibet ad juris æquitatem, nihilominus subditi sui frequenter exteri Rhadamanitis ad urnam citarentur, crumenula omni vix non aurō emunctā. Quare Cæsarem appellat rogatque, ut frivolis ejusmodi appellationibus modum finemque faceret. Fecit Carolus V, dum litteris Cæsareis anno 1544. die 29. Martii Spiræ datis sub pœnâ 30. marcharum auri præcepit, ut nullus subditorum Roggenburgensium citaretur ad Imperii Judicium aulicum Rottwilæ, vel quocunque aliud Provinciale, aut Civitatum Westphalicarum, vel denique ad tribunal aliud, quibuscunque in terris & quocunque nomine veniat. Quod si quispiam huic privilegio contravenire ausus fuerit, omnia & singula acta judicii interpellati cassa, nulla, & irrita declarat supremus Imperii Judex, facta Abbati pro tempore existenti potestate, ut solus ipse tanquam judex competens subditorum suorum causas audiat, judicet, decidat. Et solus excipitur casus denegatae justitiæ.

Interim ad partes Lutheri defecerat Imperialis Civitas Ulmensis, sub cujus tutela à multo jam tempore quievit Roggenburgum. Quoniam verò nemo fatus ovile lupo custodiendum tradit, tutelam alibi coactus est querere Georgius, invenit sub alis Austriacæ alaudæ, quæ in throno Cæsareo nidulata fulmineis aquilæ Romanæ telis hostilia quævis removere potentissima fuit. Jus tutelæ, seu Conservatorium (non jus advocationis, ut R. P. Cham partit. 3. in Monast. Ord. S. Norberti loquitur) in se clementissime suscepit Ferdinandus Romanorum Rex & Caroli V Germanus Frater, & quidem sub conditionibus Monasterio apprimè faventibus. Nam 1º. stipulatum est, ut acceptatae tutelæ Instrumento publico caveretur in Comitiis Augustæ celebratis, quod & factum anno 1548. die 27. Januarii 2do non obstante hoc Conservatorio, Roggenburgo libertas S. R. J. Monasteriis concessa mansit integerrima. 3. adpromisit Ferdinandus, sub titulo Conservatoris nullo modo jugum aggravare. 4. utrique parti liberum fuit, juri acquisito cedere, vel Conservatorium alteri deferre. 5. in recognitionem tutelæ acceptatae folium petiit viginti quatuor florenos annuatim solvendos. Atque ut indemnitat Roggenburgensi in casibus paucim obviis magis magisque consuleret, die 2. Julii anno 1549 per Rescriptum Regium supremo Sueviæ Præfecto demandavit, ut, quandoquidem subinde nimis difficile sit, ad legimen Superioris Austriae excurrere, pro casu necessitatis imploratus nunquam desit auxilio & subficio; quievit autem Canonia nostra sub umbra alarum Austriacarum usque ad tempora Caroli Marchionis Burgoviensis.

## §. II.

## §. II.

*Georgius Lavingam mittit Missionarium P. Joannem Mayer  
Priorem. Mors Georgii.*

**N**e serò quondam cum Phrygibus saperent Neopalatini, in tempore desipere cessa-  
runt, redeuntes ad caulam Christi, ut æterna non exciderent aula, & pa-  
bulum fierent leoni rugienti, si pergerent ululare cum lupis. Audire talia  
jucundum accidit Augustissimo Imperatori Ferdinando, qui mox operam dedit, ut in  
vineam istam mitterentur operarii, vulpes parvulas vineam demolientes ejecturi. Cùm-  
que pars magna Neo-Palatinatus subjaceret pedo Episcopi Augustani, Ferdinandus da-  
tis ad Eminentissimum S. R. E. Cardinalem & Supremum Augustanæ Diœcœsos Pasto-  
rem Ottонem litteris eundem feriò hortabatur, ut cardinibus suis moveret alienam do-  
ctrinam & ostio, ne redire posset, angularem & cardinalem lapidem admoveret JESUM  
Christum. Officio suo non defuit Otto Eminentissimus, sed Viros doctrinā, & pieta-  
te eminentes undique conscripsit, qui panem sale conditum frangerent Palatinis. Geor-  
gium quoque Abbatem nostrum litteris convenit, ut Apostolico labore tantisper com-  
modaret P. Joannem Mayer Cœnobii sui Priorem. Epistolæ de Germano in Latinum  
idioma fideliter translatæ tenor est sequens.

Dei Gratia Otto Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis,  
Et Episcopus Augustensis sinceram in Christo charitatem.  
Venerabilis ac Religiose in Christo  
Nobis sincerè dilecte!

Postquam Romana Cœsarea Majestas Nobis Neoburgensi ditioni Diœcœsis nostræ  
veram Catholicam fidem denud implantare concessit & mandavit, mandato parere vo-  
lentes, Lavingam misimus Doctorem Conradum Nicrosum circiter ante quatuordecim  
dies ad prædicandum ibi Evangelium, & initium rebus faciendum. Locuti etiam fu-  
mus cum vestro Priore ex mandato Cœsareæ Majestatis, ut elapsi tali tempore Lavin-  
gam vel ad alium locum juxtæ ordinationem nostram se conferret, veram antiquam  
Christianam Religionem annuntiaturus. Quapropter gratiosam nostram intentionem  
& preces ad Vos dirigimus, velitis hoc prædicto Priori benignè concedere, pro quo  
Vobis & Monasterio vestro gratiosè addicti erimus. Datum Augustæ 21. Decembris  
anno 1547.

Otto Cardinalis.

Nil moratus Eminentissimi Cardinalis preces & vota Georgius, Joannem præstito  
tempore Lavingam dimisit. Ibi, quantumvis cum hominibus animæ super carbones  
denigratæ agendum fuerit, non tamen lavit æthiopem, quippe qui ab Lutheri hara  
ad aram Christi feliciter reduxit incolas. Illud æternâ memorî dignum refertur  
de Joanne, quod, cùm Lavingana plebecula non contenta manducare corpus Domini,  
fitret etiam Sanguine sacrato de poculo bibere, Joannes quintâ majoris hebdomadis fe-  
riâ inter Laicos promiscuus à suo Sacellano sub una Specie Synaxin sumpferit, atque  
hoc suô exemplô, quos verbis, rationibus, & innatâ facundiâ non poterat, ad fa-  
niora revocaverit.

Dum ita sollicitus in salutem animarum foris laborat Joannes, domi graviter labo-  
rare cœpit Georgius, & aliquamdiu cum morbo, mortis prodromo luctatus, morte  
placida defunctus ivit in domum æternitatis. Abiit autem in ipsa die octava immacula-  
ta B. Mariæ Conceptionis, ut conceptum de Spiritu Sancto, & natum ex Virgine Ma-  
tre videret Deum. Hominem, quem, quamdiu homo fuit, toto cordis ardore adora-  
vit. Unde etiam sepulchrale saxum exhibebat devotissimum Præsulem Crucifixi genibus  
advolutum cum hac epigraphe.

Venerandus Pater & Dominus

Georgius Ermann

Hujus Cœnobii Roggenburgensis Abbas dignissimus

Obiit anno 1554. die 15. Decembris.

Insignia illius referebant alaudam aristam rostrô ferentem, & stellis coronatam.

## §. III.

*De Canonis Filialibus.*

**U**t venerandi Patres Sancti-Lucenses bonis spoliati, & Monasterio pulsi, saltem jus  
Mitræ, quantum poterant, salvarent conservaréntque, post interregnum ultrâ  
Tqm. VI. Collect. Monast.

Z

viginti

viginti annos protensum, anno 1550. in Ecclesia Benedurana Abbatem V. elegerunt Georgium Feyrstein, virum doctrina & morum integritate conspicuum, paupertatis patientem, & pro aris & focis viriliter certantem. Carolum V Cæsarem Ulmæ agentem conveniens, miserabili Monasterii sui statu exposito, protectionem Regiæ Majestatis impetravit, qua imminentes circumquaque inimicos, & residuae inhiantes fortunæ compescuit, repagulo Cæsareæ potestatis objecto. Georgius Beneduri mortuus anno 1560 ibidem sepultus est.

In Ecclesia Churwaldensi post obitum Florini (Neque enim meretur Martinus Buff, ut Abbatibus annumeretur) 23. Januarii 1549. à quatuor Commissariis Austriacis & totidem Grysonibus in Abbatem VI electus est Eberhardus Renck, à rusticis pessimâ formâ installatus. Erat is ex illegitimo thoro natus, ex Pontificia tamen dispensatione ad Sacerdotium promotus, & pro tempore Capellanus in Kazis. Electionem sic, ut præfertur factam nullo modò confirmare voluit Georgius Abbas Roggenburgensis, & Ecclesiæ Churwaldensis Pater. Abbas, donec intercedentibus pro Electo Episcopo Curiensi & Balthasare de Ramschwag cum Petro Dynasto ad cavenda majora mala primò ad Ordinem, dein ad Professionem, denique ad Abbatiam admisit Eberhardum, qui malè electus, priùs installatus, pessimè præfuit, quia plurimū obfuit, usque ad annum 1562.

#### §. IV.

#### *Annotationes.*

**N**e separemus Castorem à Polluce, conjungimus Carolum V & Ferdinandum I, fratres, ex Philippo Hispaniarum Rege genitos, quorum ille Gandavii in Flandria, iste Medinæ in Hispania natus est. Regis uterque filius, Imperator uterque fuit, Carolus bellō, Ferdinandus pace præclarissimus. Carolus sæpiissimè viñtor, nunquam glorioſiùs triumphavit, quām quando se ipsum vicit, & relictis filio suo Philippo Hispaniarum aliorūmque regnorum, Ferdinandō fratri coronis, coronidem factis suis toto mundo notissimis glorioſissimam imposuit in Eremitorio S. Justi in Extremadura haud procul ab urbe Pallenza, ubi biennium in negotioso Mariæ otio, & denique animam pientissimè egit, natus annos 57. sub eodem sydere (tauro) cum Carolo Magno & Augusto Imperatoribus natus, primum gloria & rerum magnitudine æquavit, alterum bellandi dexteritate omnino superavit. Ferdinandus à morte Caroli Septennio Sceptrum pacificè tenuit, mortuus Viennæ in Austria anno Christi 1564, ætatis suæ 71. cum Anna Ladislai Hungarorum Regis filia mundo genuit filias undecim, filios quatuor, ex quibus Successorem Imperii habuit Maximilianum II.

Otto ex illustri Truchsessiorum familia natus, in Episcopum Augstanum LVI Dilingæ electus est 10 Martii 1543, Creatus postea S. R. E. Presbyter Cardinalis. Anno 1547 die 7. Augusti Augustam ingressus, in æde S. Udalrici super aram D. Martyris Afræ incruentam litavit Hostiam, & mox Templum Cathedrale à Lutheri contagione expiavit. Dein pridiè festivitatis S. Hilariæ in prædicta Ecclesia Cathedrali præsentibus Ecclesiasticis Vesperas solennissimè celebravit, Michaële Sidonio Episcopo concione polemica S. Evangelium illustrante. Anno 1548. Canonici Cathedrales Dilingā Augustam redierunt, & 13. Augusti primum celebrarunt Capitulum, nec non universus Clerus in integrum est restitutus, exceptis Religiosis S. P. Benedicti ad D. Udalricum, qui primum sequenti anno obtentâ bonorum restitutio redierunt ad Claustrum.

Cum anno 1559 Ferdinandus I solenni apparatu parentaret Carolo V, inter Catholicos Principes & Legatus ex Protestantibus solus Palatinus nomine sui Principis Sacris interesse voluit; cūmque inter Missarum Solennia pax daretur, Legatus autem subterfugeret, indignabundus Cardinalis Otto dixisse fertur: Si non vis benedictionem, habeas tibi maledictionem in æternum. Obiit Otto anno 1573.

In Comitiis Spirensibus anno 1544. nomine Monasteriorum Urspergensis & Roggenburgensis, quæ tum adhuc sub tutela Ulmensium erant, recessui subscrisserunt Weyprecht Ehinger & Martin Weyckmann: in Comitiis vero Augstanis anno 1545 Georgius Besserer Consul, Hieronymus Schleicher & Joannes Kraft Ulmenses. In recessu Imperii Augustæ de anno 1555. malè adducitur Reverendissimus Georgius noster, utpote jam anno 1554. mortuus: bene autem nominatur in recessibus 1551. & 1548. itidem Augustæ erëctis.

Quod

Quod Roggenburgum antiquitus jus venandi saltem aliquod possederit, testes sunt Litteræ Nobilis Christophori de Tirrheim in Biberach-Zell datae ad D. Waltherum de Hirnheim, Sylvorum Præfectum, in quibus conqueritur de jure venandi ad fluvium Biberin & Osterbach sibi ablato, cum tamen Maximilianus Imperator omnibus Nobilibus in Marchionatu Burgoviensi indulserit venationem extrâ Saltus & in extremitate Sylvorum, atque unâ cum D. Abbatे Roggenburgensi in ejusmodi locis cervos & apros venatus esset. Ad quas litteras in altera papyri pagina respondit Hirnheimius, tam Domino de Tirrheim quam D. Abbatē Roggenburgensi jus venandi de nro concessum esse.

Cæterum ævo illo necdum moris fuisse, ut Religionem ingredientibus vel profidentibus assignentur nomina, colligimus manifestè ex Instrumento Electionis Rmi. Georgii, in quo leguntur Joannes quatuor, Georgii duo, Andreas itidem duplex.

Ultimò demù manus iteratō conferendæ sunt cum Bruschio. Petulantissimus iste juvenis, utpote tum vix annos 19. natus, quemadmodùm alios miratos Præfules aggredi non est veritus, ita etiam Canoniam nostram ejusdémque olim membra traducere claudicante sua effrontique Musa non horruit. Poëtæ Poëta respondebit.

*Præpositos primos, Rectores, atque parentes  
Carmine quî poteras nobilitare tuô?  
Ac si nulla tuis sine versibus acta niterent,  
Nobilitásque omnis te sine nulla foret.  
Non est, ut blateras, tibi nobilis illa potestas,  
Et tibi sat miseram cessit Apollo lyram.  
Sed nihil, inquis, ego possum decernere certi,  
De quibus ipsa etiam Bibliotheca tacet.  
Dum nil scripsérunt rebus de talibus illi,  
Ad quos spectabat plurimum is ipse labor.  
Falleris, & cassó quæris monumenta labore,  
Publica queis meritò Bibliotheca caret.  
Lustrasses alibi (nisi janua clausa fuisset)  
Vidisses metricis plurima digna modis.  
Vidisses amplos, qui Cæsaris ore favores  
Profluxeré, Sacro Pontificisque throno.  
Vidisses magni quoque provida facta Rudolphi,  
Et nova pro nostra jura coëmpta domo.  
Henrici nostras legisles gesta per oras,  
Præsidis & Boicis cognita facta plagiis.  
Legisles, noti virtus invicta Georgii  
Quæ tulit, extremis exagitata malis.  
Cæsaris è sacro scivisles esse Senatu,  
Et mirâ celebrem dexteritate virum.  
Complures taceo, quorum tibi facta negata,  
Ut de jure decet, te juvenésque latent.  
Hinc illæ Satyræ, tot & hinc mordacia dictis  
Carmina, livoris signa superba tui.  
Hinc nudè levitérque refers, quod sola supersint  
Nomina, quæ nihil hic utilitatis habent.  
Scilicet ut mendax Homeri Zoilus olim  
Ipse miser dictis nobile carpsit opus:  
Sic tu Sacratas petulanti Carmine Mitras  
Impetis, & claros conditione viros;  
Magna tot unde tibi venerunt munera, quorum  
Vixisti largâ munificâque manu.  
Quin etiam noster candore notabilis Ordo  
Non potuit Satyris candidus esse tuis.  
Sed grates refero, simili quoque carmine carmen  
Solvo, parique meas laude rependo vices.  
A decimo nonus tibi cùm decurreret annus,  
Te jactas miserâ haec jam blaterâsse lyrâ.  
Quid tibi Mome canam? quid habes in Carmine magni?  
Hoc verum & magnum est: sat juvenile fuit.*

## CAPUT VIII.

Joannes Mayer, hujus cognominis II, Abbas  
VIII, R<sup>mi</sup> S.R.I. Prælatorum Collegii Director.

## §. I.

*Qualis quantusque fuerit Joannes apud exterros.*

Pedum Pastori emerito, Mitra Laureolam inter Apostolicos labores promerito, annulus errantium Doctori, Maria debebatur Joanni. Hinc est, quod post obitum Georgii Sedes Abbatialis septem duntaxat diebus vacaverit, neque multum laboraverint Capitulares, quem vocarent in Patrem, cum omnes in fronte Joannis legerint nomen Abbatis. Igitur 22. Decembris 1554. datus est annulus in digito ejus, & Mariam Joannes accepit in sua, præsentibus Reverendissimis Præsulibus Thoma Urspergenfi, Electionis Directore, Vito Rothenfi, & Christophoro Marchtaffensi. Homagium præstitere subditi 12. Februarii 1555, prolixo & eleganti sermone actui solenni initium faciente Nobilissimo Domino Joanne Christophoro de Tirrheim in Biberachzell. Problema semper fuit, an subditus verè Servus, & Joannes dictus fuerit Dominus. At ubi cessit Abbatia, quis fuerit, nemo dubitavit, cum uno omnes ore subditi clamarent, se verum amittere Patrem. Exiguus inter parvos, magnus fuit inter magnos, & maximi semper aestimatus à maximis. Unde sicut umbra hominem, ita honor sequebatur Joannem, ut ut honorari semper refugeret, mitis & humilis corde. Habent, quod nemo non novit, Reverendissimi S.R.I. Prælati in Suevia proprium Collegium, & in eo Præsidem cum Syndico. Præsidem, per vota secreta eligi solitum, vocant Directorem, eò quod cæterorum nomine negotia publica Viennæ & in Diæta Imperiali Ratisbonensi dirigere debeat. Munus hoc Reverendissimi Præsules detulere Joanni, simulque aperuerunt, ut munere in gloriam Nominis sui, in communem omnium defungi valeret. Celebrabat illo tempore Ferdinandus Romanorum Imperator semper Augustus Augustæ Vindelicorum Comitia, quibus Abbatialis Collegii nomine interesse jussus est Joannes. Sedit inter Proceres velut stella primæ magnitudinis, & tot fudit oracula, quot verba. Semel ex ambone sacro dicere jussus à Ferdinando, adeò suavis concione concionem præsentem in sui admirationem rapuit, ut dubitaverint, utrum audiverint prædicantem Joannem Roggenburgensem, an verè Paulum Tharsensem. Exinde crevit honor, crevit & titulus; ab Imperatore enim in suum nominatus est Sacellanus.

A Comitiis Domum redux, soli Roggenburgo intendere cogitabat. Verùm non ita Delus Bæotica, ut Arx Siligoburgica frequentabatur, quia sacratior hic, quam ibi, ex meliori tripode divinabat Apollo. Et verè jam Consiliarium, jam agere arbitrum vel invitus cogebatur Joannes. Corporis Infaustici cervici adeò durè cum rationum Præfecto supremus Marchionatū Burgoviensis Prætor insidebat, ut vix non spina dorsi frangeretur. Doluit ea res Nobilibus terræ, ac præ cæteris diffindebatur cor Dominorum Eberhardi de Freyberg Equitis, & Viti de Pappenheim in Wertingen & Hochrechingen S.R.I. hæreditarii Mareschalli. Sed malo emplastrum nesciebant, timebantque, ne ulcus ore magis dilatato hiaret, si apertè congrederentur. Igitur, quid agendum, Joannem consulunt, qui dum tacitos agere cuniculos suadet, rebus optimè consuluit.

Sed & Ferdinandus Joannis Sacellani sui licet absens oblivious haud voluit. Repullulaverant anno 1565. lites & discordia Eberhardum de Freyberg inter & Isaacum Ham Rationum Præfectum Burgoviæ. Cūmque lite jam contestata Eberhardus morte citaretur ad tribunal Judicis æterni, causam parentis urgebant coram regimine Oenipontano, & jura sua contra Isaacum acriter tuebantur superstites filii, Philippus Cathedralis Ecclesiæ Constantiensis Decanus, Carolus, Otto, Marquardus & Leo Fratres. Litis arbiter electus est Joannes cum potestate, partes litigantes citandi, audiendi, & pacifica compositione sub Ferdinandi nomine judicandi. Quod si nullus transactioni locus foret, utriusque partis motiva & rationes fideli calamo Oenipontum referret. Aequus erat arbiter, sed an locus fuerit æquo, ignoramus. Sufficit, adeò probatam Ferdinandu fuisse fidem Joannis, ut illi causas arduas confidere neutiquam diffideret.

## §. II.

## §. II

*Joannis utilissima oeconomia, Resignatio, Mors.*

Quamprimum Joannes cœpit præesse, ut universis prodesset, singulorum bonis prospœctum voluit. Advertit autem, sat male cautum esse subditis, si Judæis, pessimæ hominum faci & ex mille dolis ac fraudibus compactæ, diutius in Territorio Roggenburgensi cum incautis Christicolis commercia habere. Ut ergo Judam mercatorem pessimum proscriberet, à Carolo V. amplissimum rogavit impetravitque die 18. Junii 1555. Privilegium. Hujus tenore 1. Judæis interdictum fuit omne commercium usurarium cum subditis, & sine consensu Abbatis & Conventus, vel Præfectorum sæcularium nulli licebat contrahere, vendere, mutuum dare oppignoratis sive mobilibus sive immobilibus. 2. A Judæis super nullo debito, post Præliegii publicationem contracto, citari poterant Roggenburgenses ad forum extraneum cujuscunque Judicij vel Aulici vel Provincialis. 3. Si Præliegio publicato Judæus ad recipiendas usuras vel pretium vel pretio estimabile elocavit, id totum, quidquid fuit, in spolium cessit Abbati & Conventui. 4. Casu, quo subditorum aliquis à Judæo vel ad Judicium aulicum Rottwilæ, vel ad Provinciale Superioris & Inferioris Sueviae citabatur, hic comparere non tenebatur, & Processus Judicarius ad instantiam Judæi defuper institutus nullius erat roboris aut firmitatis. 5. Denique omnia & singula Judæorum Præliegia vel præhabita, vel deinceps à quocunque Imperatore impetranda, huic contraria, in perpetuum cassa, nulla, irrita, & quasi non edita declarabantur. Adjecta in prævaricatores poena ascendebat ad 50. Marchas auri puri, divisione more solito facienda. Præliegium hoc Chartæ Pergameneæ inscriptum, Majori Cæsaris Sigillō ex filo holosericō nigro auroque intertexto firmatum est. Adjacet illi in Archivio nostro Copia V dimata Reverendissimi DD. Georgii Frey Præpositi in Wettenhausen de anno 1555. & die 19. Augusti. Ipsissimum hoc Præliegium Authoritate sua roborarunt anno 1559. die 19. Aprilis Augustæ Ferdinandus I, & anno 1566. ultimo Aprilis ibidem Maximilanus II. Imperatores glorioſissimi. Cum verò Judæorum astutia viam nihilominus inveniret, intrâ fines Territorii nostri usuraria exercendi commercia, Joannes pessulō nunquam removendō fores obseraturus, libellō supplici convenit Imperatorem Ferdinandum, ut Mandatum exiret ad Magistratum Gynzburgensem, Neoburgensem & Krumbacensem, item ad Dominos Henricum de Rot in Münsterhausen, & Berchtoldum de Rot in Ichhausen, quatenus Judæi intrâ lapsum certi termini pignora accepta extradere cogerentur. En quām subditos suos dilexerit Joannes, infenſiſſimus Synagogæ hostis.

Post hac confirmata etiam voluit quæcunque Præliegia antiquitus concessa, quod & fecit Ferdinandus I. demum anno 1566. à Paulo Papa IV. Conservatores obtinuit Abbes Campidunensem, Salemitanum & S. Udalrici Augustæ.

Porrò quod prudentem ac providam Joannis Oeconomiam commendat, est gran-  
gia Hochbuechensis, quam è fundamentis excitavit. Libellus item, in quo accuratissi-  
mè descriptæ sunt operæ ac servitia, à subditis præstanta, ne scilicet vel minimo eo-  
rum onus alliget, aut grave aut omnino insupportabile. Præterea quamvis opes non  
modicas in aedificia dilapidaverit, nunquam tamen ita vacuos habuisse legitur loculos,  
ut non superfuerint alibi locorum cum fructu elocandi, aut elocati.

Minus ex Senii, quam humilitatis sensu, Vir talis ac tantus sponte Abbatiam di-  
misit anno 1566. quadriennio superstes inter continuata pietatis exercitia vietas tandem  
morbis mortique manus dedit die 16. Junii 1570. quæ omnia succinctè continet Epita-  
phium propylæo Capellæ in Infirmitorio hoc modo insculptum.

Anno ab Incarnatione Christi 1570. die 16. Junii

Circa 3. diei horam è vivis excessit

Reverendus ac pius in Christo Pater ac Dominus D. Joannes Mayer,

Ex Civitate Weissenhorniana oriundus,

Hujus Monasterii Abbas VIII.

Sedit ad Gubernacula annos XII.

Cujus anima sit in sinu Abraham.

H. S. F. Y. &

Scutum illius superius digonum infrà in rotundum coit; transversim sectum in duas re-  
giones dividitur: Superior nigra virum exhibit flavis indutum, & tres aristas manu te-  
nentem: In inferiori, quæ flava est, tria ejusdem coloris lilia sunt.

De Abbatibus S. Lucii & Churwaldæ operæ pretium non est, ut speciale huc in-  
feramus Paragraphum; nam Christianus Ganzmann Abbas S. Lucii VI. ipso electionis  
anno, nimis 1560. ejus verò Successor Michaël Paulinus 8. Maii 1570. mortuus est.

Tom. VI. Collect. Monast.

A a

Chur-

Churwaldiæ in Abbatem VII anno 1562. eodem modo, quem suprà retulimus de Eberhardo, electus & installatus est Nicolaus Jannatsch, secularis Sacerdos & Parochus in Sevis, quem providè administraſſe dicunt. Sed calculò sat nigrō notatur in litteris à Regimine Oenipontano ad Abbatem Roggenburgensem datis, ubi dicitur, quod nullam rei domesticæ curam habeat, sed pro alendis duntaxat propriis prolibus (prō quales sunt isti Canonici Præmonstratenses) sit sollicitus, & in illarum subsidium villam emerit pro 600. florenis, magnō Monasterii detrimentō. An vera, an falsa fuerit delatio, dies Domini declarabit. Obiit Nicolaus 10. Jan. 1588.

## J. V.

## Annotationes.

Paulus Papa IV, zelosissimus ille Evangelii Phinees, ante electionem dicebatur Joannes Petrus Caraffa, Neapolitanus, ex familia Comitum de Matalone oriundus. A Paulo III sacrâ purpurâ donatus, Marcello II, successit 1555. 23. Maji natus annos 79. toto vitæ suæ tempore nec Medico, nec medicinâ usus, unico ad mensam cibo & modico vinō contentus, tunc primum concessit dormitum, quando somnus jam gravabat oculos. Judæorum turbæ fallaci infensissimus, perpetua lege fancivit, ne bona immobilia possiderent, atque ut à Christianis discernerentur in Urbe, voluit, Viri pilos flavos, mulieres ejusdem coloris vela gestarent. Justitiæ tenacissimus, tres Neopotes suos Carolum Cardinalem, Joannem Ducem Palliani, & Antonium Marchionem de Montebello cum universa familiâ omnibus dignitatibus & officiis privatos, Româ proscriptis. In miseros hosce adhuc severius animadvertisit Pius IV, qui Carolum Cardinalem clam in arce S. Michaelis Carnificis manu strangulari, Joannem & Antonium decollari jussit. At S. Pius V. in Caraffas verè pius trucidatis solemini ritu parentavit, appensis doloris castro gentilitiis scutis, & dignitatum officiorumque insigniis. Insuper in locum strangulati Caroli, Cardinalem creavit Antonium Caraffa, filium Reginaldi & Joannellæ. Notarium verò, qui processum judiciarium formaverat, è patibulo suspendi jussit. Paulus IV. Pontificatum tenuit annos quatuor, menses duos, dies viginti quatuor, die 18. Augusti 1559. pientissimè mortuus; nam morti vicinus in Sacello doméstico lacrymis ubertim manantibus quotidie SS. Missam celebravit, & Horas Canonicas cum Sacellanis alternando decantavit. Ultima morientis verba hæc erant: *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.*

Abbates, Campidunensis jam tum S. R. I. Princeps, Salemitanus, & ad S. Udalricum Augustæ, constituti à Paulo Privilegiorum nostrorum Conservatores, erant Wolfgangus de Grünenstein, Joannes Michael dictus de Neufra & Jacobus Köplin, qui Monasterio S. Udalrici per annos quinquaginta duos præfuit Abbas ordine XLVII. Joannes de Nefra Salemum 5. annis egregiè administravit Abbas XXV. præsenti vitæ subtractus 25. Octobris 1558. Poëta quidam inter Joannem & Stephanum II comparationem instituens ita canit:

Post erat Antistes MICheL De nefra Ioannes  
Ter dignus Praeses rexit fana atque profana.  
Fana, profana regit StephanVs DeXterrIMVs Abbas  
SaCratVs PraefVL LVstra nIVata tibi.

Idem Poëta de eodem Joanne (cui adscripsit illud Prov. 10. v. 13. *In labiis sapientis invenitur sapientia*) ac moderno Excellentissimo Abate Anselmo II ita pergit:  
Est Salomon sapiens, pia quem Sapientia donis  
Multis exornat, pectus, & ora rigat.  
Anselmus Salomon novus est, Sapientia regnat,  
Ut fortis degat, subdita corda regat.

Vitus Textor, Electioni Joannis testis assistens, Abbas Rothenensis XXXI à pietate & Oeconomia laudatus, benè gessisse res Cœnobii, animam verò 3. Kalend. Julii efflasse scribitur anno 1556.

Christophorus Boner, itidem electionis Assitens, Abbas Marchtallensis XLII plurima à Lutheranis in Suevia lascivientibus passus mala, ad declinandos furiosorum insultus una cum grege providus aufugit Pastor, fugientem mors interceptit anno 1558.

Caput IX.

## C A P U T IX.

## Georgius Hieber, Abbas IX.

## §. I.

*Gyrovagi, prædones, pauperes suspecti eliminantur. Origo  
diffidiorum cum Marchionatu Burgoviensi paucis describitur.*

**M**utemus clypeos, notum antiquis biverbium erat: Pedum & Mitram Joannes cum Georgius mutasse Roggenburgi, vel sola produnt nomina: præcessit enim Joannem Georgius, sequitur Georgium Joannes Georgius, quem in Capitis fronte positum legis, Fratribus suis concordantibus votis præpositus est 29. Octobris anno 1566, sub eodem, quo Antecessor, electionis Præside, Assistentium vices obeuntibus Reverendissimis Abbatibus, Martino Rothensi, & Michaële Minoraugiensi, in quorum etiam præsentia mox altero ab electione Sole juratum dixerunt homagium subditi. Breve regimen Parcæ, inquietum Georgio fecerunt turbines minimè parci.

Hos inter cristas præ ceteris erigebant, qui colla etiam prætereuntium pedibus alias submittere videntur, humiliati quidem nimis, sed nequaquam humiles, & communis vocabulō dicti *Lands-Knecht*. His sece magno associabant numero rapaces vultures, aliique sat multi, quos centones passim dilacerati mendicabula, digiti verò longissimi de stirpe prædonum, vulgo Cingarorum, progenitos palam testabantur. Credentes, Romulum ad vivos rediisse, ut denuò urbi suæ conquereret inquilinos, adeò redundabant viæ publicæ, & sylvæ obstrusæ hujusmodi farinæ hominibus. Sed præsidarios hosce milites solà protervâ iniquitate armatos non amavit Suevia. Unde suas armavit cohortes, quibus noster quoque Georgius equites duos optimis armis instructos junxit, ut pedites istos cum sociis pediculis longius amandarent, & orbis ultimò purgamentò purgarent Sueviam.

Aliud quoque hominum genus hoc tempore infestum cœpit esse illis, quorum securitati tot & tam ampla consultum volebant Privilegia Romani Imperii Moderatorum. Jam suprà, licet quasi tantum per transennam, insinuavimus, Nobiles Dominos de Freyberg & Pappenheim ad Joannem Abbatem nostrum consilii causâ adiisse, quatenus meliori viâ suæ consulerent securitati, à Præfectis Burgoviensibus multum afflita. Facile suggerit remedium Uclegonti Joannes, cùm propria nondum arderet domus; Georgius verò, qui sua jamiam fumare testa viderat, sollicitus esse debuit, ut alieno etiam ex fonte hauriret aquas, flammis subito exortis sufficienes. Enodamus mysterium quantum licet. Exosa erant Præfectis Burgoviensibus Privilegia Cæsarea Corpori Insassifico (hoc nomine comprehendimus illos, qui bona immobilia vel ipsimet pleno Dominii jure possidebant, vel subditis suis ejuscemodi bona intrâ fines Marchionatus posseidentibus jura dabant) concessa, utpote quæ juribus Domini sui præjudiciosa, aut omnino fatalia credebant, ideòque hinc inde movebant manus, ut firmo pede non staret Corpus Insassificum. Sed inter motus adeò inexpectatos non immobile fuit; quippe primas super hac causa querelas movit coram Throno Cæsareo; & cùm ibi aures minus vacuas reperiret, conjunctis viribus obviam processit adversariis. Litem ab ovo ad malum usque recensere si vellet calamus, succumberet oneri, etiam Hercule in partes ferendas vocato. Pauca igitur, & hæc horis tantum subsecivis descripta communicabimus, uno vel altero paragrapho huic Causæ assignato, ex quo tamen abunde Lector cognoscet, quam longa sit via per præcepta, difficilis abbrevianda per exempla.

## §. II.

*Differentiae super jurisdictione in Tafertshoven sopitæ.  
Mors Georgii.*

**S**uum veritati testimonium perhibet experientia, quod parva tæpè scintilla magnum extinet incendium. Emptionis, ut audivimus, titulo à Gaudentio de Rechberg sub Joanne Abate VI Monasterio accessit pagus Tafertshovensis, ita tamen, ut Rechbergiis ex alia linea descendenteribus sui in pago fuerint subditi. Accidit anno 1543 ut eorum aliquis nimium sece gravatum à Præfectis Roggenburgensibus quereretur coram No-

A a 2

bili

bili Joanne de Rechberg, qui plus justè delatori credulus, fine prævia causæ cognitione litteris præmeditatè quidem, ut loquitur, non tamen amicitiae tollendæ-causā scriptis convenit Georgium Ermann Abbatem Monasterii nostri VII. is causā ritè cognitā pomum discordiæ remotā morā tollere pollicebatur. Et verò in cunis suffocata proles haud amplius clamare valuisset, nisi sub annum 1551 alii quidem Rechbergenses subditi vociferari cœpissent, jugulo suo minari Roggenburgenses. Tum enim verò flamma in apertum erupit incendium, sopiendum certè, si manus compositioni, aures æquo commodâset Rechbergius. Sed novam hic quotidiè fabam coquens, & neicio quas illatas sibi injurias commentus, causam Cœesaris judicio decidendam postulavit. Acquievit Ferdinandus I petenti, & Commissarium delegavit 5 Februarii 1563. Eminentissimum Cardinalem & Episcopum Augustanum Ottone. Is causæ litigiosæ quantociùs finem datus utramque partem, ut ultimo Maji compareat, Dilingam citat. Cum verò jam hæc, jam pars altera dilationem peteret, interveniente 15. Julii 1564. Imperatoris Ferdinandi morte Officium Commissarii expiravit. Atque utinam tumulo simul illata esset discordia, neque novus malorum cumulus priori accrevisset. Sed Rechbergio prolem foente, nullus causæ Patronus favere potuit, præfertim cum novis quotidiè molestiis Rechbergius frangeret Abbatem. Inter hæc anni omnino quatuor præterlapsi sunt, cum tandem sub Eminentissimo Mediatore Ottone, qui denud Commissarius fuerat constitutus, pacis oliva resuscere cœpit, omni discordiæ per amicabilem compositionem extinctâ 24. Aprilis 1568. Tantæ molis erat natos compnere fluctus, quorum reciproci aestus tres Amplissimos Præsules penè ad mortem fatigârunt. Averruncent Superi ulteriores & novos!

Hoc ab onere liber Georgius, domi suæ fese subitè oneratum sensit. Voluerat Maximilianus II Romanorum Imperator Desiderio Helmschmid emerito Nobilium famulo de congrua sustentatione provisum esse. Quapropter jussit, præbendam laicalem Desiderio assignaret Abbas noster. Desiderium haud desideratum teatris prohibere desiderans Georgius, nullum non lapidem, sed cum Sitypho movit. Quippe rationes Georgii Maximilianus attendens, petito inhæsit, & Canonia nostra denud supernumerarium in triclinio numeravit. Quis contrà torrentem?

Annus interea suprà Millesimum, quingentesimum, septuagesimum secundus mundo, Georgius verò appropinquabat tumulo, in quem descendit mense Martio, denud ascensurus è pulvere, quando mundus residebit in cineres. Sepulturæ locum haud indagare potuimus. Ad clavum sedit ductis rigorosè calculis annos quinque & menses totidem.

### §. III.

#### *Annotationes.*

**M**aximilianus II Ferdinandi I & Annæ Ladislai Hungarorum Regis filiæ primogenitus, uno eodemque anno Rex Bohemiæ coronatus, Germaniæ electus, Hungariæ salutatus est. Uxorem habuit Mariam Caroli V filiam, principem fæminam verè felicissimam, utpote quæ filia, Nurus, Coniux, & Mater Cœsarum fuit, filia Caroli V, nurus Ferdinandi I, Coniux Maximiliani II, Mater Rudolphi & Mathiæ. Tempore Maximiliani Hugonotti Galliam, Flandriam Geusii miserè divexarunt. Cyprus & Tunis cesserunt Turcis 1572. nova in cœlis stella apparuit propè signum Cassiopeæ, Jove & magnitudine & lucis splendore major 1574. Imperator calculi doloribus oppressus, nondum quinquagenarius obiit anno 1576. Monarcha pius, pacificus & justus, adulatorum & detractorum hostis acerrimus, Symbolum suum *Deus providebit* in quavis necessitate sœpius repetere solitus.

Thomas Mang, qui jam quarta vice Abbatum Roggenburgensem electioni præsedit, inter Præsules Urspergenses XXXVII, Colonensis Academiæ Doctor Theologus, quadraginta septem annis præfuit. Monasterium à Rusticis combustum, tanta celeritate ac dexteritate è cineribus novum & splendidius resuscitavit, ut omnes in admirationem raperentur. Diem supremum obiit 1569.

Martinus Ermann, primus Electionis Georgianæ Assistens, Abbas Rothenensis XXXIII tam laudabiliter & religiosè præfuisse scribitur, ut optimos æquaverit Prædecessores, & Successoribus regendi fuerit exemplar. A Sixto Papa V usum Pontificalium, à Joanne deputatis nomen Visitatoris per Circariam Sueviæ obtinuit. Sub eo

B. Wil-

B. Wilhelmus Eifelin, Canonicus Rothenfis vitæ sanctimoniam, & post mortem etiam miraculis claruit. Defunctus est Martinus 15. Kal. Decembris 1589.

Michaël Hablizel, Assistens secundus, Abbas Minoraugiensis XXXII. vitâ excessit ærâ christianâ 1575.

In causa contra Præfectos Burgovienses à Maximiliano II Commissarii denominati sunt Episcopus Eustadianus, & Georgius Fridericus Marchio Brandenburgicus.

Cæterum sub Georgio omne jus venandi Roggenburgo periisse, produnt litteræ quædam Ferdinandi Archiducis Austriae de anno 1571. in quibus Abbatii quidem concedit, ut in certo & per Sylvarum Præfectum determinato districtu vulpes, leporesque venari possit, Litteræ tamen Reversales petuntur, quibus declarat Abbas, Indultum hoc merè gratiosum justitiam aut jus omnino nullum parere Roggenburgo. Et certè mirari satis nequeo, Georgium tam promptè manum admovisse tabulæ, ut Reversales exararet, cùm latere ipsum non potuerint Privilegia, toties venandi jus confirmantia. Quidquid sit, unico actu & cautione jurata Successoribus viam præclusit Georgius, efficaciter tuendi jura. O utinam scripturo quis acclamâisset: Georgi! manum de tabula.

### C A P U T X.

## Joannes Schiffelin, Abbas X.

### §. I.

#### *De rebus à Joanne gestis.*

Joannes Prioris officiō optimè functus, defuncto Georgio, dignissimus est inventus, qui ex Priore fieret primus. Electionem, 27. Martii anno 1572. celebratam, moderabatur Reverendissimus Pater Abbas, D. Georgius Abbas Urspergensis, affidentibus sibi Amplissimis DD. Martino Rothenfis, Michaële Minoraugensi, & Benedicto Sorethensi Abbatibus. Juramentō fidelitatis subditi neo-electo subarrhati sunt 25. Aprilis.

Homo pacis pacificam in sede Abbatiali non invenit domum, Burgovia turbas concitante. Jam sub Georgio anteceffore Magnus Vogl, Secretarius Roggenburgensis, Georgius Geßler, Prædictus Breittenthalensis, & Jacobus Hornung ex Zaifershoven, actore Christophoro Hermann Krumbacensi, Burgoviam peremptoriè citati fuerant ad tribunal. Sed per exceptionem fori incompetentis declinabant judicium citati, afferente Georgio, sibi tanquam legitimo Judici competere, ut jus & æquum Actori, sententiam dicat in reos. Quievit interim in Domino Abbas, sed neutiquam acquievit Burgovia, ad definitivam usque sententiam procedens. Hujus nullitatem causatus Joannes Successor, & protestando sibi suorum iurium integritatem reservans, appellat ad Judicium Camerale Spiram. Obstupuit Burgovia Abbatis animum, quin ipsem Ferdinandus Archidux Austriae, Roggenburgensis Monasterii Protector & Conservator factum insolitum miratus, Oenipontò rescriptis Joanni, per hanc Appellationem & specialia Domus Austriacæ, & communia Jura Imperii esse violata, cùm vel ad se (Ferdinandum) vel ad Superioris Austriae regimen appellandum fuisset. Verum Serenissimi Protectoris sui litteras nihil Abbas moratus, supplicando institit apud Imperialis Cameræ Judicem, ut Constitutio de Spolio &c. &c. ad effectum deduceretur contrâ Præfectum Burgoviensem, vulgo *Landtammman*, præsertim cùm limites suæ potestatis enormiter excederent, non obstante interposita Appellatione, condemnando reos, Actorum in illorum bona immittendo, & insuper Magnum Vogel Secretarium suum Nordholzii, pago Roggenburgensi, armata manu capiendo, Burgoviam postea deductum. Causam evicit Abbas, & Judices extraneos docuit, dormitare quandoque Homerum, non dormire Roggenburgi Baldum.

Eliam cum Supremo rei venatoriæ Præfecto rem habuit Joannes. Interdixerat ille tribus communitatibus de Nordholz, Christertshoven & Rennartshoven omnem arborum eradicationem in loco, die Cammer dicto. Injuriam sibi fieri, ad oculum demonstravit Abbas ex eo, quod omnis ille locus jure Dominii, authoritatis & proprietatis Monasterio fit incorporatus, & ad pascenda pecora dictarum Communitatum ab antiquis temporibus deputatus. Præterea locum omnino nihil fructificasse, nisi quod subiude fagus sependifis hortis servierit. De cætero nullam aliam arborem ad tales magnitudinem unquam

*Tom. VI. Collect. Monast.*

B b

ex.

excrevisse, ut vel lepus sub umbra illius pernoctare potuerit. Hac declaracione non obstante, nova seges diffensionum vel inter sylvas orta est. Vi privilegiorum suorum prætendebat Roggenburgum libertatem quoconque demum in loco arbores eradicandi, & fundum in agros vel prata mutandi. Excipiebat rei venatoriæ Præfектus, reclamare jura forestaria, quæ laderet, quisquis sine præscitu & consensu Præfecti arbores eradicare præsumeret. Re ad Serenissimum Archiducem Austriæ delata, litis arbitri delegati sunt Carolus Welser L. B. de Zünburg, Serenissimi Consiliarius, Camerarius, & supremus Marchionatus Burgoviensis Præfектus, & Isaac Han, Consiliarius ac Rationum Præfектus, qui præhabita oculari inspectione in sequentia consenserunt: eradicationem arborum Roggenburgo etiam irrequisito rei venatoriæ Præfecto licere in locis, ubi nullum esset ferarum lustrum, & saltus damnum, secus dicendum de loco & limitibus venationis principalis.

Verum & hæc transactio ætatem non tulit. Unde de mandato Serenissimi Archiducis in oppido Weissenhornensi 14. Aprilis 1577. denuò convenere Reverendissimus Abbas Joannes cum Rev. mo DD. Georgio Abate Urspergenfi, Vito Breg Priore & Urbano Simon Cellario; item DD. Carolo de Freyberg in Raunau & Joanne Georgio Jurium Doctore ex una, ex altera parte DD. Carolus Welser, L. B. de Zünburg &c. DD. Albertus Schenck de Stauffenberg in Wilflingen Serenissimi Centurio Constantiae, uterque commissario nomine, cum Gallo Hagern Jurium Doctore, item supremus rei venatoriæ Præfектus D. Simon Tänzl de Trazberg cum Mathæo Layman Jurium Doctore. Biduo utrinque decertatum est acriter, tertio tandem die ita conclusum. 1. licet D. Abbat & Successoribus ejus vulpes & lepores in agris propè adjacentibus certi districtus, similiter anates aliasque volucres in utroque stagno trajicere, similiter capere meles, quamdui gaudent gratiose jure venandi. 2. eradicatione arborum conceditur ad normam Conventionis anno 1576. initæ. 3. districtus, in quo vulpes aut lepores venari permittitur, certis notetur signis, & desuper utrinque extradantur Litteræ.

His ita compositis Privilegia confirmata, Rudolphus autem II sub Authoritate suæ Cæsareæ Majestatis firma voluit esse omnia 8. Augusti 1577. illud verò Caroli V usuraria Judæorum commercia prohibens ratihabuit eodem die & anno.

Porrò ut non diceretur Fridericus à vacuo loculo, elocatas ad ærarium Gynzburgense pecunias repetit, utpote elapso jam tempore; verum ab Oenipontano regimine decentissime rogatus, novum decennii terminum indulxit.

Et hæc quidem pro utilitate, quæ autem sequuntur, in decorem Domus Dei præstítit Joannes. Chorum anteriorem insigni temporibus illis organo instruxit, quod usque hodiè in laudem Dei & honorem B. V. Mariæ resonat in Ecclesia Schieffensi. Antiquitatum & monumentorum amantissimus artis eximiae picturas, ne invido vetustatis dente penitus corroderentur, renovari curavit, plura haud dubiè præstiturus, si corpori virtus non defecisset.

## §. II.

### *De rebus sub Joanne gestis, ejus Resignatione & morte.*

Jure in fronte hæc ponimus, quod ipsis nobis peregrinum videtur, nempe P. Joannem Bonemayr Parochiam in Rennartshofen administrâsse. Per quod ostium ad ovile illum intraverit Pastor candidus, an præsentatus à Patrono, an postulatus ab Ordinario, nescimus. Certum tamen est, jus Patronatus ad Parochiam illam nullo unquam tempore stetisse penes Roggenburgum, & tam ante quam post Joannem saluti animarum invigilasse Clericum Sæcularem, licet pagus ipse Monasterii nostri subjaceat Jurisdictioni temporali.

Anno 1572. die 24. Aprilis tractatus quidam est initus inter Commissarios Serenissimi Archiducis Austriæ, & Comites Fugeros, quis deinceps jurisdictionem altam exercere debeat in pagis nostris Tafertshoven, Christertshoven & Flüssen. In eo controversia inter utramque partem ita dirimebatur, ut Marchiones Burgovienses jurisdictionem præfatam exercearent in Tafertshoven, Fugeri autem in Christertshoven & Flüssen.

Causam Corporis Insassiatrici contra Marchionem Burgoviensem quod attinet, in congressu anno 1576. Donauwerde habito 21. Februarii unanimiter conclusum est, electis Deputatis (*dem Engen auschus*) illimitatam potestatem esse concedendam, vel amicabiliter vel aliâ juris viâ causam tractandi. 2. expensas ab omnibus proportionaliter solvendas, & Deputatis de indemnitate sua cavendum esse. Congressus iste facili-

lè celeberrimus fuit; nam Prælati & Nobiles magno numero personaliter eidem interfuerunt. Præter alios numerati sunt Marcus Fugger de Kirchberg & Weissenhorn, Joannes de Stein in Jettingen, Marquardus de Freyberg in Haldenwang & suo & Abbatum Urspergensis & Roggenburgensis nomine, Eglofus de Riedheim in Remshard, Rallenberg & Harthausen, Melchior de Stein in Reisenburg, Joannes Sebastianus Schertlin de Burtenbach, Sebastianus Schertlin prioris pater nomine Ludovici Schertlin in Binswangen. Deputatis, qui antea numerum quartum non excedebant, adjuncti sunt Philippus de Mazenheim, Ordinis Teutonici Commendator Donauwerdæ, Joannes de Stein in Jettingen & Mzensiefs, Reverendissimi Abbates Udalricus Cæsareensis, Erhardus Elchingensis, & Imperialis Civitas Ulmensis. In hoc insuper congressu Deputatis facta est potestas, quoties ratio aut necessitas postulabit, convocandi Insassiatricos, tempus & locum congressus denominandi, ibidemque super bono publico consultandi, decidendi, exequendi. Nomine Reverendissimi nostri Abbatis Joannis subscrisit Carolus Schmid Secretarius.

Sub Joannis regimine ad mandatum Gregorii Papæ XIII. Ordo Præmonstraten sis reformationem amplexus est, Joanne de pruetis totius Ordinis Generali vel omnia vel saltem pleraque Cœnobia visitante. Idem Gregorius P. M. confirmavit Privilegia Præmonstraten sis, ilud præcipue, quod immediate & soli Apostolicæ Sedi totus Ordo sit subjectus

Interim Joannes, quia valetudo sinistra corpus, non animum fregerat, ut sibi soli & Deo viveret, mitram cum pedo sponte dimisit anno 1580. quando autem Dominus Servum suum dimiserit in pace, ut videret salutare Dei, non constat. Insigne illius supernè angulis in curvum hexagonum est, dein & lateribus, infrà demicirculo clauditur. Area è cœruleo & flavo perpendiculariter secta exhibet virum sine pedibus habitu ad modum sectionis scutariæ oppositis coloribus tincto. Illius brachia extensa sunt, dextrum malleo est munitum, sinistro tria tenet lilia. Quid Joannes scuto hoc mirabili indicare voluerit, noverit ipse, nobis mysterium est.

In Abbatem Sanct-Lucensem anno 1576. Beneduri electus est Hieronymus Hutterer, qui abdicatâ 1592. Abbatâ diem extremum clausit Rothi anno 1613. post voluntariam Hieronymi cessionem, donec ad meliorem fortunam perveniret Canonia, Administratores constituti sunt, quorum primus erat Michaël Berckmiller Canonicus Roggenburgensis.

### §. III.

#### *Annotationes.*

Gregorius XIII. Pontifex verè Maximus, electus est 13. Martii 1572. natus Bononiae ex Patre Buoncompagno & matre Angela Mareschalchi, ibidem in celeberrima Universitate annis octo publicus Professor Jura docuit. Bis interfuit Concilio Tridentino, sub Paulo III tanquam Auditor Cameræ Apostolicæ, & sub Pio IV, à quo Cardinalis creatus est. Romæ septem fundavit Collegia, aliorum quoque vel author vel promotor, nempe Viennæ in Austria, Græcii in Styria, Pragæ in Bohemia, Dillingæ in Suevia, Fulda in Franconia, Olomuci in Moravia, Rhemis in Gallia, Mussiponti in Lotharingia, Brunsbergæ in Porussia, Claudiopoli in Transilvania, Vilnæ in Lithuania. Intrâ pauculos annos operibus piis auri millions duos, dotandis Virginibus pauperibus millionem alterum impendit. Orbis Christianus ipsi Calendarium emendatum debet. Religiosorum amator eximius & fautor obiit 10. Aprilis 1505. ætatis suæ 83. Pontificatus propè 13.

Ferdinandus Archidux Austriæ, quem Rudolphus II Canoniæ nostræ Conservatorem constituit, erat Ferdinandi I. Imperatoris filius natu minor, & Maximiliani II frater. Is Augustæ Vindelicorum matrimonio sibi junxit Philippinam Francisci Welser Patritii Augustani filiam, ex qua binos suscepit filios, Andream & Carolum, de Austria dictos, quibus tamen ob disparem Matris cum Patre conditionem prærogativa Archiducis nunquam fuit concessa. Interim verò Andreas auctus est dignitatibus Ecclesiasticis, factus primo Cardinalis, dein Episcopus Constantienses, dénum & Brixinensis. Carolus obtinuit pro vitalito Marchionatum Burgviensem, Gynzburgi residere solitus, ubi etiam Monasterium PP. Capucinorum fundavit. Cum conjuge sua Sybilla Wilhelmi Ducis Juliacensis filia vixit improles, & mortuus in habitu Capucini tumulatus est. Porro Ferdinandus cum Philippina sua per annos triginta vixit quam amicissime. Anno

1582. ad secunda vota transiens, solenni ritu sibi copulavit Annam Catharinam Wilhelmi Ducis Mantuani filiam, qua peperit proles quinque, ex quibus tres impuberis mortuæ, Anna Catharina Monialem induit, Anna verò Matthiae Imperatori nupsit. Ferdinandus Pater obiit 24. Jan. 1595.

Anno 1576. celebrata sunt Comitia Ratisbonæ, ubi nomine Prælatorum Circuli Suevici subscripterunt recessui Imperii Matthæus Abbas Salemitanus, & Martinus Abbas Minoraugeiensis.

### CAPUT XI.

## Joannes Mayer, hujus cognominis III, Abbas XI.

In paragraphos non discriminamus Caput hoc, quia mors, nullo discrimine facta, nimis præproperè Caput nostrum invadens, Joanni multum faciendi tempus, nobis multa scribendi materiam subtraxit.

Mundo in Oppido Weissenhornensi natus, sed mundum non mundum cognoscens, eidem in Cœnobio denatus est, factus Clericus, dein Abbas, nunquam verò per salutem promotus. Nam, licet de virtute in virtutem volaverit, ad officia tamen ascendit per gradus, Subprior, Prior, Abbas.

Electio, anno 1580. die 24. Novembris celebratae, Præsidem Reverendissimus D. Georgius Abbas Urspergensis, Assistentem Amplissimum D. Martinus, Præful Rothenfis, Testes P. Oswaldus Som Prior Urspergensis & P. Georgius Frey Parochus in Berckheim egerunt. Nemo non prospera quævis vovebat neo electo, ut qui vas electionis dudum sese probaverat, nec ullus dubitabat, Saturni sæculum redditurum. Namque pietas ad omnia utilis, utilissimum, humilitas magnum fore Abbatem spopondit. Sed spem fecellit, vota elusit atræ mortis invidia, quæ Joannem magna concipientem, ad partus tempora venire haud permisit. Cum enim vix menses gemini abiissent, primo morbus, mox morsu mors impetiit Joannem. Ita peremptoriè citatus, ne Judicem haberer Leonem, Agni imploravit patrocinium, post hæc verba: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere mei, placidissimè expirans.* Defunctum R. P. Oswaldus Som Prior Urspergensis terræ mandavit in ipso Festo Purificationis B. V. Mariæ, non sine omine, Joannem cum Virgine purissima purificatum jam illa die, quo tot in terris coruscant luminaria, vidisse Lumen ad revelationem gentium olim in terram missum, in quo perpetuò felix lætabitur justus. Epitaphium saxo incisum ita loquitur.

#### Post resignationem

R. D. Joannis Schifele ex Priore in Abbatem  
Electus est R. D. Joan. Mayer Weissenhornensis.  
Præfuit Abbatæ 2. Menses & 6. dies moritur 1. Febr. a. 1581.  
R. Vitus Breg Abbas XII.

Hoc Epitaphium erigi curavit

Scutum, cui Infula cum pedo imposta, suprà digonum, infrà in circulum cojens, transversâ per centrum lineâ sectum est. Caput Scuti perpendiculari linea ad centrum usque partitum est, cuius prior areola aurô tincta Castorem Cæruleum continet à dextra ad sinistram confidentem: posterioris quadripartitæ secunda & tertia nigra est. Pes verò in auro tria lilia exhibet è viridi colle protuberantia.

### CAPUT XII.

## Vitus Breg, Abbas XII.

#### §. I.

### Viti regimen, cessio, Zelus animarum, obitus.

Invitò Viti calamò describimus acta. Decima Februarii dies anni suprà Millesimum quingentesimum octogesimi primi ex Vicario in Ebershausen vocavit ad mitrati Pastoris curam in Roggenburg, electione sub præsidio Reverendissimi D. Georgii, Abba-

Abbatis Urspergensis, & assistentia Amplissimorum Præsulum Martini Rothensis, Leonardi Minoraugeiensis, canonice institutâ. Homagium altero mox die recepit à Subditis, gratulationes & applausus à Viris plurimis magna nobilitate conspicuis; secunda & prospera optabant omnes, sed minus omnibus prosperatus est in vita Vitus. Equidem Imperator Rudolphus II. Protectorem & Conservatorem Monasterii anno 1586. constituit iteratò Ferdinandum Archiducem Austriae. At quomodo Roggenburgum lenem ab Austria sperare poterat Austrum, qui nubes dissiparet, quod paulò ante inimicum sensit Africum, quando nimis anno 1581. idem Ferdinandus omne jus venandi etiam gratiosum unâ cum litteris concessionis revocavit, nec nisi ægerrimè Vito demississimè supplicanti in gratiam continuandæ hospitalitatis restituit. Quamquam quid hæc modica commemoramus? vicos & pagos Morenhausen, Seybertshoven & Wattenberg deploramus posthumi, à Vito alienatos pro 20000. florenis, remanente penes Roggenburgum onere gravissimo, etiam non subditis ligna necessaria quot annis subministrandi. Absit autem, ut omnis in Vitum culpa recidat; nec enim credere fas est, illorum sine consensu, quorum intererat, perniciosissimum hunc venditionis contractum esse celebratum. Nostrò tamen judiciò extrema quæque priùs experiri oportuisset, quam cum damno irreparabili alienare immobilia. Sed factum infectum fieri nequit. Clavum, quem novenniò ferè tenuit, dimisit, & ad Parochiam Braittenthalensem secessit. Accedit paulò post ut ab Illustri Carolo de Vöblin in Illertissen requisitus Divina ficeret in Vöhringen. Suavi Tityri fistulâ oves captæ jam non alterius sequi volebant modulamen avenæ; sed Reverendissimo Abbatii Roggenburgensi Jacobo suplices factæ petierunt, ut à Vito deinceps in avita pascua ducerentur. Impetrato consensu, Abbatem resignatum Patronus presentat Episcopo Augustano, ejusque in Spiritualibus Vicario, à quibus perbenignè curæ pastorali in Vöhringen immisus est, quam totis undecim annis administravit. Inde digressus caulam Tafertshofensem ingressus est, in qua nitidè purgatâ rursus aliquo tempore laboravit, donec ab ovibus discesserit, vocatus ad nuptias Agni. Discessus hora, dies & annus nullibi, discedentis commemoratio in Necrologio nostro 13. Martii notatur.

Scutum illius Abbatiale superius digonum, ultrà medium descendens figurâ circulari terminabatur, in quatuor areas transversè partitum. Cephalica cyano tincta angelum referebat, extensis brachiis tria lilia ferentem: centrica in argento geminum rubens cor exhibebat: umbilicaris aurea triplici latino S. conspicua erat, perigea demum argentea corde rubeo in medio collocato notabatur.

## §. II.

### *De causa Corporis Insassiatrici.*

Causam hanc, ut diximus, currente duntaxat calamo perstringemus, ne frustrâ longius occupare possit spatium, rebus domi nostræ natis destinatum; præsertim cum vix aliquid juvet, crambem recoquere, vel prima vice ad nauream usque insipidam. Igitur paucissimis Lectorem Benevolum docemus, Serenissimum Archiducem Austriae & Marchionatûs Burgoviensis Dominum territoriale amicabili compositioni inter partes litigantes faciendæ aures & manus dedisse anno 1583. ut verò dissidentes eò felicius convenienter in unum, & hic jurâ sua manerent inviolata, ibi privilegia sarta teatique persisterent, Arbitrum causæ elegit Reverendissimum Principem & Ordinis Teutonici Magistrum, Virum ad omnia summa natum, & miræ in pertractandis felicitérque endandis negotiis maximi momenti dexteritatis.

Enimverò vel æquitati causæ suæ, vel omnino æquissimæ Themidi diffidere dici potuisset Corpus insassiatricum, si talis tantique Viri arbitrio se suaque committere detestasset. Quamprimum igitur à Serenissimo Archiduce Austriae Reverendissimo huic Magistro Mediationem detulit; in ipsum etiam ceu Mediatorem compromisit Corpus insassiatricum. Quare ut delato sibi muneri Mediator quantocyùs ficeret satis, non distulit rebus facere initium, indictò ad diem Decembri tertiam publico congressu, Donawerdæ celebrando, ut ibidem utraque parte audita optimum ad justitiæ leges ferret judicium.

An majori cautelâ & prudentiâ comite Romanus olim Senatus, quem Cineas regius Pyrrhi Legatus congregationem Regum prudentissimorum dixit, in decidendis causis processerint, penes Lectorem judicium esto. Interim ut ea quoque, quæ suarum erant, partium, Actor seu Corpus insassiatricum ad amissim expleret, ordinatis in congressu quodam Augustano iis omnibus, quæ ad rem factura videbantur, in Deputatos, Donawerdam abituros, electi sunt Reverendissimus ac Celsissimus S. R. I. Princeps & Tom. VI. Collect. Monast.

Cc

Epi-

Episcopus Augustanus, DD. Marquardus, Reverendissimum Capitulum Ecclesiæ Cathedralis Augustanæ, Reverendissimi S. R. I. Prælati Cæsareensis & Elchingensis, Perilustres Domini, Joannes de Stein in Jettingen loco Eglofi de Riedheim in Rempshardt & Marquardi de Freyberg in Haldenwang, utpote qui dimissionem impetraverant, Marcus L. B. Fugger, Christophorus Rechling in Horgau: Civitates Imperialis Augustana & Ulmensis, ac denique Arbogastus de Schellenberg in Münsterhausen, & Carolus de Freyberg in Unter Raunau, omnes per litteras rogati.

Porrò quid in illo congressu Donawerdano statutum fuerit, ignoramus; stabile nihil esse conclusum, exinde concludimus, quod integrum vix non triennium abierit, donec in publicum prodierint articuli quidam, quos ab omnibus aliis discriminat adverbium *Interim*, & usque hodie recepto vocabulo nominantur *Interims-Mittel*. Labor omnino supervacaneus foret, pleniorum de ipsis articulis hic inserere explicationem, cum neminem judicemus tam esse peregrinum in Israël, hodie in nostris Dicasteriis ad litteram & sensum illorum ferri judicium, terminari lites, exortas sopiri dissensiones, jus cuique suum illæsum conservari. Cæterum ex ipsis dimetiri licet, quam lento & verè testudineo, quod juridico incedit, pede procedat.

### §. III.

#### *Annotationes.*

Duplicis in hoc Capite Episci Augstanti fit mentio. Unus Marquardus de Berg erat, numero quinquagesimus octavus, electus anno 1575, mortuus 28 Januarii 1591. Successor ejus Joannes Otto de Gemmingen electus anno 1591. obiit 6. Octobris 1598. porrò de Marquardo notandum, quod fuerit antiquissimæ Suevorum familiae de Berg ultimus, J. U. Docttor, Canonicus Moguntinus, Summus Præpositus Ecclesiarum Cathedralium Augstantæ & Bambergensis, denique per viam Inspirationis in Episcopum electus, nondum Sacerdos. Unde primam incruentam Hostiam 1. Januarii 1576. litavit Augstæ præsente Alberto Duce Bavariæ, 15to ejusdem mensis Dilingæ in Sacello arcis à Proepiscopo Augstanto Michaële Dornvogel consecratus. Turrim arcis Dilinganæ restauravit, altius erexit, & novo testo ornavit. Tumulatus jacet in Sacello aulico Dilingæ.

Electus in Mediatorem causæ controversæ vocabatur Henricus ex antiquissima & nobili familia de Bodenhausen, Magister Ordinis Teutonici trigesimus nonus, sed quartus, qui, postquam Albertus Marchio Brandenburgensis ejurata religione Catholica nefarias cum Dorothea Daniæ Regis filia celebravit nuptias, & Lutheri dogma secutus, Ordini Borussiam surripuit, Mergenthemii in Franconia residere coactus est.

Articulorum, qui *interims-Mittel* vocantur, hæc origo fuit. Privilegium Maximiliani de anno 1492, utraque pars litigans tanquam sibi favorable pro se allegabat. Cum autem sic hærere inciperet tota controversia, quidam articuli sub mediatione præfati Henrici, Ordinis Teutonici Magistri fuere propositi, ab utraque parte *interim* observandi, usque dum tota controversia terminaretur per compromissa.

Anno 1582. Rudolphi II. Imperatoris Privilegium usuraria Judæorum Commercia iteratò prohibens, per Lambertum Bomgarter Notarium Cæsareum, Consistorii & Judicij Ulmensis Procuratorem juratum & Civem ibidem in locis & Ordine sequentibus promulgatum est: 13. Aprilis Gynzburgi. 19. April: horis antemeridianis Ichenhusi, pomeridianis in Hochenwang. 20. April: de manè Burgovii, vespere in Scheppach. 21. April: manè in Binswangen, meridie in Buttenwisen, vesperi in Emersacker. 22. Aprilis ante prandium Aurbaci, circa horam duodecimam in Steppach, sub tertiam in Kriegshaber. 23. Aprilis Pfershemii ante prandium, post in Leütershoven. 4. Maji à meridiè Neoburgi. 5. Maji de manè Krumbaci ratione Judæorum Hirbensium, sub vesperam Thannhusii. 6. Maji in Vishach & Immenstetten. 26. Maji in Orsenhausen & 27. Erbaci. 1. Junii Osterbergæ. 10. Julii Altdorfii ad Vineas. 11. Ravenspurgi. 17. in civitate Wangensi. 18. coram Judicio provinciali in Wangen. Denique 24. Augusti in festo S. Bartholomæi Apostoli Roggenburgi, ubi profectò ejusmodi Decretum Cæsareum vel maximè desiderabatur, ne ulterius ab hac humani generis lue damnificarentur subditi, qui juxta Diarium Reverendissimi Viti solis Judæis debebant 3000. florinorum.

*Caput XIII.*

## C A P U T XIII.

## Jacobus Werckhmann, Abbas XIII.

## §. I.

## Quale fuerit Jacobi regimen, &amp; quando mortuus.

**V**ito liberè cedente, pedum & Mitra cesserunt Jacobo, præsentibus Reverendissimis Abbatibus, Michaële Urspergensi Electionis Moderatore, Mathia Minoraugeensi, & Ludovico Sorethensi, canonice electo 24. Augusti anno 1589. jure homagii Subditos sibi obstrinxit die Septembri septima; actum hunc suâ præsentia solennizariunt Reverendissimi Præfules Michaël Urspergensis, Georgius & Vitus, uterque resignatus, ille Urspergensis, hic Roggenburgensis. Patria Jacobi Sorethum fuit, ubi propè Candidos adolevit, inter Candidos Roggenburgi in Abbatem excrevit. Literarum amator tenerrimus, litteratorum fautor præcipuus, non pepercit sumptibus, ut viros haberet eruditos. Unde quot annis Fratres suos ad celeberrimum omnigenæ literaturæ Dilinganum emporium emisit, qui nunquam non scholastico pulvere gloriose sondidi ad lares suos redierunt. Ex his Michaëlem Probst Successorem, Simonem Maurer, Joannem Kopp, & Hieronymum Utler S. Lucius vidit Abbates laudatissimos: Churwaldia verò Michaëlem Jäger, Joannem Buck, Casparum Keckh & Georgium Häberle habuit Administratores solertissimos. Sic ad pulpita Musarum gloriose, at minùs laudabiliter ad mensam nummulariam sedit Jacobus. Nam Viti premens vestigia 16. Augusti anno 1584. pagum Zaisertshoven venditione vertit ad alienos, onere de ligno prospiciendi alienatis rursus Roggenburgo remanente.

Venditionem suo modo compensavit emptio, aut saltem Jacobi emendavit factum, non sine consensu Protectoris Serenissimi, Patris Abbatis Reverendissimi, Vicarii Generalis amplissimi factum. Jam anno 1556. jus Patronatū ad Parochiam Christertshovensem unā cum juribus & bonis eidem annexis venum obtulerant Nobiles Carolus & Michaël de Welden, sed repulsam tulit uterque. Id qua de causa factum, non est nostrum divinare. Crambem, licet antiquam, Roggenburgo tamen magis placitaram *Dietricus de Horben in Kyngenberg Sac. Casar. Majestatis & Serenissimi Archiducis Austriae Ferdinandi Consiliarius*, & hujus per Marchionatum Burgoviensem Supremus Præfectus recoquere, Jacobus autem noster super cibo isto, qui levissimus videbatur aliis, nequam naufragare cœpit, etiam de arrha jamjam locutus. De felici rerum successu nil dubitans, Dietricus ut pretium majus reciperet, extollere parochiam, laudare incorporata bona novit perbenè, non tamen subtitit onera, quod videlicet quis pro tempore existens Pastor annuatim Collatori scaphas octo filiginis mensurā Memminganā mensuratā pendere, 40 insuper aut 56. florenos sub titulo cujusdam reservationis solvere teneatur. Pretium proin exigit maximum, paulò post descendit ad majus, denique contentus minori. In hoc rerum articulo optimum fore censuit Jacobus Abbas, si manus ultima contrahentium negotio admoveretur in Monasterio nostro. Verū quia negotia alio vocabant Dietricum, ut præfens huic vacaret, delegavit filium suum Georgium de Horben, quocum 15. Martii 1595. contractus omnimodo & perfectè initus est, dum Abbas supra duo florenorum millia sexcentos solvere promisit, Georgius centum in paratis pecuniis petiit, cæteros ad censum annualiter præstandum reliquit. In diebus illis parochiae præerat R. D. Joannes Buchschuester Clericus Sæcularis, qui prò dolor (& Clericis caro sua domesticus inimicus est) non quidem ultra crepidam sapuit, sed omnino desipuit, amore captus adituæ. Ut scandalum brevi migraret ex animo plebis, Plebanum scandalosum procul ab oculis fieri petiit novus Ecclesie Patronus, Jacobus Abbas. In vota petentis descendit Officium Augustanum, & ab officio suo Joannem amovit ad turpia Dine amoribus motum. Erat proin Joannes iste de Venerabili Clero sæculari novissimus Apostolorum, in cuius locum subintravit Pastor candidus è gremio Roggenburgensi nominatus.

Plura de Jacobo non habet, quæ referat, calamus. Quiescit ergo, quoniam & Abbas ad requiem abiit æternam anno 1610. Abbatiale Scutum quod attinet, supra digonum, infrà semicirculare fuit. Transversè bis sectum tribus areolis constabat: superior usque ad centrum Scuti argentea virum referebat nigris vestitum, & tres ariftas (Monasterio à nomine congenitas & usque modò in sigillis tam Abbatis quam

Conveniūs exprimi solitas) manu ferentem: in altera, quæ cœrulea est, tres stellæ micant: infima ex auro soleam ferream in medio, cum clavo eidem perpendiculariter supposito, in cuspide collocato exhibebat.

## §. II.

*De Statu Ecclesiarum S. Lucii & Churwaldiæ.*

**M**itra Sancti-Lucensis invisas exosa tenebras Caput, super quod requiesceret, annulus, in quo scintillaret, ambiebat digitum. Sedit illa super Caput Matthæi, insinuavit se iste digito Agricola. At neque Matthæus homo erat ambitious, ut tiaram caput ambientem estimaret, neque Agricola diu superbire voluit annulo, qui manum suam noverat esse natam aratro. Igitur Matthæus Agricola primò Canonicus Roggenburgensis, dein Administrator, tandem electus anno 1597. Abbas S. Lucii, deposita mitra, Roggenburgum redit 1599.

Matthæum secutus est Simon Maurer, itidem ex Canonico Roggenburgensi Administrator, ex Administratore Abbas S. Lucii. Desponsatus absenti, in præsentis Sponte amplexus involare unicè gestiebat Simon. Neque à proposito deterrebat difficultatum lapis, qui inter Alpes plurimus occurrebat. Hunc ut felicius moveret, Mitratos Provinciæ Sueviæ Patres in partem laboris evocavit, quibus suam quoque operam pro recuperanda S. Lucii Abbatia addixit Zelosissimus Abbas Canonici Wilthinensis propè Oenipontum in Tyroli. Secundavit vota Patrum Deus; quippe in Transactione Lindaviensi, à Reverendissimo & Serenissimo Archiduce Austriae Leopoldo cum delegatis Rhœtiæ Confœderatorum Commissariis inita, ceteros inter articulos conclusum est, omnia illa, quæ circa bona Ecclesiastica olim per vim à Rhœtis attentata fuerant, nulla esse & irrita, consequenter ablata unâ cum Monasterio S. Lucii denuò Canonicis Præmonstratensibus restituenda. Sed moras traxit executio, quia stomachabatur injuria, parere justa præcipienti, & reddere injustè sibi parta. Igitur suam interponit authoritatem Reverendissimus & Illustrissimus DD. Alexander Schappius, Episcopus Campaniensis, S. Sedis Apostolicæ ad Helvetos & Rhœtos Nuntius, & Curiæ tunc subsistens tam fortiter suadet, tam feliciter restitutionem non differendam persuadet tribus communibus Rhœtiæ Ligis, ut publicum & authenticum restitutionis ac installationis Instrumentum erexerint, quod incipit: *Nos Præsides & Oratores Fæderis, ditionis, que Marienfeldensis in Conventu Curiæ congregati fidem universis facimus, notumque reddimus. Cum inter Reverendissimi Principis ac DD. Leopoldi Archiducis &c. Dominos Commissarios ex una parte, ex altera verò inter Delegatos à Communibus tribus Ligis &c. &c.* Peracta hunc in modum Simonis Abbatis immissione, ipsius quoque Monasterii & templi actualis traditio subsecuta est. Sed, pro dolor! utrumque ab insultantibus fidei Catholicæ adversariis adeò devastatum & profanatum fuerat, ut non nisi ingenti pecuniarium summa ad restaurandum opus fuisset necesse. Ad hæc, qui sanctè promissi fuerant, Census, redditus, bonaque immobilia ab injustis possessoribus nequaquam sunt restituti. Cum igitur Simon Maurer domum Domini reædificare non valeret, ad locum, unde venerat, discessit, ibique paulò post non sine suspicione propinata à quodam Pretigoio veneni decessit, postquam Sancti-Lucensibus Beneduri laudatissimus & melioribus fatis dignissimus Abbas præfuisset annis viginti & uno.

Ultima anni dies Sylvestro Pontifici Maximo sacra est, ultimus, qui Sacris Pontificalibus gloriabatur Churwaldiæ, Sylvester fuit. Professus ad S. Lucium in Præsulem postulatus à Jacobo Abbe nostro, anno 1589. die 29. Januarii investitus est. Cognomine Schrof ad Scopulos verè allisit Churwaldiam, cui per annos decem plus obfuit, quam præfuit. Unde Sylvestro in pace deposito, mitram depauperata domus posuit, & se Administratoribus supposuit, quorum primus erat Michaël Jæger Canonicus Roggenburgensis.

## §. III.

*Expediuntur brevi calamo, quæ hoc & sequenti tempore in Causa Corporis Insassiaci acta.*

**U**t Causa hæc sat! odiosa nostrum non frangat calamus, nos frangemus filum, eantum obiter notando, quæ sequioribus acta sunt annis. Anno 1603. Præfecti Bur-

Burgovienses insimulantur, variis modis & artibus elidere ac eludere articulos ab utraque parte initos. 1619. in novis Comitiis statuuntur nova remedia ad retundendos insultus. Anno 1653. peremptoriè postulatur Fridericus Abbas noster, ut quotam suam nongentorum florenorum Iolvat, quatenus stipulata viginti florenorum millia Ferdinando Archiduci absque ulteriori mora extradi possint. Porro hæc pecuniarum Summa Serenissimo Archiduci eo ex capite adpromissa est, quod filum processus, ad Judicium Cameræ Imperialis delati, ruperit, & articulos ab *interim* dictos pro futuris perpetuis temporibus confirmaverit. Ex quibus liquidò constat, quæ pernicioса crumenis hæc causa extiterit, ut propterea mirum videri nemini debeat, Reverendissimum Bonaventuram nostrum ejusdem fuisse hostem infensissimum.

Eodem anno novus cum Serenissimo Archiduce Carolo tractatus initus est super interim-articulis. Anno 1657. Augustæ consultatum denuò super quibusdam gravaminibus, ad quæ tollenda Serenissimi Commissarius suaſit, Insassiaci denuò quotam aliquam pecuniariam traderent, secus jura Burgoviensia vi denique fore tuenda. Igitur stipulata sunt 9000. florenorum, ita quidem, ut, priusquam pars media solveretur, ratificatio extradatur, resolutio autem super quibusdam aliis punctis, typo mandatis, ante solutionem residua quantitatis. Anno 1658. die 28. Januarii venerunt litteræ Oeniponto, quibus invitabantur Insassiaci, vellent ibidem per Deputatos comparere 26. Martii, ut tandem aliquando differentiis meta poneretur. Cum autem Insassiaci exciperent, ejusmodi delegationem facere metas suæ potestatis excedere, eo quod causa concerneret etiam Principes immediatos & liberos Imperii status, secundis litteris Oenipontanum regimen insinuavit, Serenissimum Archiducem, nisi dictis die, hora, & loco adesset Deputatus, aliis demum adminiculis Jura sua defensurum. Utrum dein compositio quædam fuerit subsecuta, nec affirmare nec ausim negare. Illud liquidò constat, etiamnum hodiè tricis non esse finem, & fors duraturas, donec mundi finis aderit. Supersedemus igitur cæteris, utpote ex obliquo tantum Canoniam nostram respicientibus, & in unoquoque Cœnobiorum Archivio facile inveniendis. Non tamen prætermittimus ea, quæ singillatim concernunt Imperiale Monasterium nostrum. Convertimur ergo ad domestica.

## C A P U T XIV.

## Michaël Probst, Abbas XIV.

## §. I.

*Michaël Abbas Zelosissimus.*

**H**ic vir hic est, quem ore sexcenties reduplicato nunquam satis dilaudare poterit Roggenburgum. Natus Krumbaci, oppidō duabus à Roggenburgo horis distante, à parentibus dictus est *Probst*, bono omnię, fore ut aliquando salutaretur Abbas. Musarum lacte benè potatus, moribus verè lacteis imbutus, non lacteam sed spinis signatam & à Deo - Homine præmonstratam cum Præmonstratenibus inire gestit Roggenburgi Viam. Virum gravem, licet nemini gravem, præfetulit juvenis. Poëticā lyrā eruditè cecinit, è rostris fortiter dixit, ad pulpītum profundè docuit, Theologica ad fundum usque edoctus in Athenæo Dilingano. Ad officia quævis natus, ad varia est destinatus, domi Cellarium utilissimum, foris in Braittenthal Pastorem Zelosissimum, Churwaldiae Administratorem solertiſſimum agendo, ut proin utroque cæcūtiſſet oculo Roggenburgum, si, dum morte clausit oculos Jacobus, suos ad alium convertiſſet, præter Michaëlem. Itaque pro meritis suis amplissimis in Abbatem Amplissimum electus est anno Salutis, & Canonizæ nostræ ob electionem talis tantique Viri verè salutari, Millesimo, sexcentesimo, decimo, die Mensis Martii nona, præfuturus inter Martios etiam furores feliciter. Electioni præsedit Reverendissimus D. Joannes Abbas Urspergensis, assistebant Reverendissimi DD. Balthasar Rothenensis, & Martinus Sorethenensis Abbates.

Primum prima decent, primum Michaëlis regimen auspicaturi principium fuit. Nempe zelus domus Dei comederat Abbatem, ut solam Dei gloriam sitire videretur. Monumenta certè reliquit talia, qualia Roggenburgi visa sunt nunquam, quia ex omnium sententia ad Sanctissimi Patriarchæ nostri Norberti formam optimè elaboratus, omnem in eo curam posuit, ut, quæcumque vel mediatè vel immediatè Divino servitio consecrari solerent, & pretiosa & splendida forent. Calicem argenteum auróque

## 106 HISTORIÆ ROGGENBURGENSIS

obdutum miræ magnitudinis, insigni arte & fusi præcipue operis decore conspicuum fieri curavit anno 1614. cui anno mox sequenti alium arte & opere similem sed paulo minorem adjunxit. Primum etiamnum affervat servabitque Roggenburgum in perpetuum Præfus memoriam.

Anno 1628. multis expensis in honorem S. Crucis aram exstruxit, quam Gustavus Adolphus Sueciæ Rex artis esse miraculum dixit, siisque severissime præcepit, ut illæsum atque intactum relinquerent. Neque Gustavo soli sed & omnibus, quotquot gnari rerum artisque æstimatores viderunt, ab eminenti artis sculptoriæ dexteritate & personarum, ut loquimur, ad vivum expressarum varietate admirationi fuit, à pede usque ad Ecclesiæ caput pertingens. Id modò dolemus summoperè, quod operi æternitate dignissimo, sed tinearum dentibus corroso locus esse non possit in Ecclesia recens ædifieata. Ejusdem Praxitelis artificio scalpro elaborata in Choro posuit sedilia Canonorum Deo laudes cantantium, quæ ex parte dextra Sanctorum, è sinistra Sanctarum imaginibus affabre factis condecorantur. His adjecit quatuordecim Statuas majores eadem manu & arte è ligno sculptas, Christi Domini scilicet, Apostolorum & Evangelistarum, æquali ex utraque parte ordine arcubus inferioris fornícis dispositas, & per totam Ecclesiam divisas. Artificium posthumus quoque stupebit oculus. Nunquid magna dicimus? sed his majora percipite, non nisi Præfulum maximò dignissima opera. Organum in òdæo posuit numeris omnibus absolutissimum, quod totidem linguis, quot fistulis stanneis, in laudem Authoris amplissimi vocale per sera resonabit sœcula. Ipsum aded templum detractis senilibus rugis juvenescere docuit, dum fornicem imposuit admodum venustam. Tantus pro gloria Domus Dei Zelus propriæ domus limitibus coarctari non valuit, etiam foras progressus. Namque Mindelzellæ Ecclesiam parochialem, à Canonico Urspergensi administrari solitam, altari perquam eleganti ornavit anno 1631. die 25. Junii.

Hæc pro decore Domus, alia fecit, ut cum decore omnia fierent in domo Dei Quem in finem Canonorum auxit numerum, ne laus Divina minueretur. Insignis porrò Mariophilus à cultu filii ad honorandam ejus Matrem & oculos & animum concedit, diutino & non frustraneo labore desudans, ut A. R. P. Joannes Göttert SS. Theologiæ Magister, Sacri & Celeberrimi Ordinis F. F. Prædicatorum per universam Germaniam Provincialis facultatem concederet, in Ecclesia Ingstadiana erigendi Marianam Sacratissimi Rosarii confraternitatem. Ad opus hoc perficiendum ab A. R. P. Thoma Saltner Conventus Kirchhemiensis Priore deputatus est Venerabilis P. Conradus Hess ejusdem Ordinis & Conventus, ut prædictam B. V. Mariæ Congregationem Ingstadio implantaret, arâ summa eidem destinatâ, eo quidem pacto, ut Rmo. DD. Michaëli & ejus Successoribus libera deinceps maneret potestas, quoscumque Confraternitati immatriculandi, additis omnibus gratiis, privilegiis ac indulgentiis huic Archi-Confraternitati concessis. Quod profectò opus dixerim tot encomiis celebrandum, quot ultrâ sœculum eloquentissimæ in Laudes Mariæ Panegyres sunt dictæ, aut Zelosissimæ in peccatores Philippicæ detonuerunt. Utque sacris exedris nunquam deesset eloquentissimus Demosthenes, subtilis Aristoteles, aut profundissimus Alensis, purissimas omnigenæ scientiæ undas Suos haurire voluit de fontibus Dilinganis, unde domum redierunt aliqui temporibus laureâ redimitis, quos inter eminuit Fridericus Rommelius, dignissimus Michaëlis Successor.

Haud minorib[us] pietatis ac reverentiæ flammis in Sanctissimum Patrem suum exercit filiorum devotissimus. Cum enim anno 1617. Deo annuente, Cæsare promovente, Abbe Montis Sionæ in Prag urgente, sacra lipsana Sanctissimi Patris nostri Norberti olim Magdeburgensis Archiepiscopi & Germaniæ Primatis, quinto jam sœculo Magdeburgi dilitescentia, ex Protestantium maribus erpta Pragam Bohemiæ Metropolin transferrentur, eorumque solennissimæ introductioni dies secunda Maji esset destinata, & Reverendissimus Joachimus Abbas Rothenfis cum cæteris alman Provinciæ Patribus capitulariter Roggenburgi congregatis statuisset, quemdam ablegare, qui nomine Circariæ Suevicæ Sanctissimo Patri debitum haberet honorem, Michaël Abbas Christophoro Abbatii Minorauensi, in quem fors cecidit, socium adjunxit Fridericum Rommelium Subpriorum & SS. Theologiæ Professorem, qui linguâ duplii sed simplici corde pro Roggenburgo honoraret S. Hospitem è regione longinqua adventantem. His vel obiter consideratis nunquid bene dicimus, quod Michaël fuerit Abbas Zelosissimus. Jam, si placet, consideremus utilissimum.

§. II.



*Michaël Abbas utilissimus.*

Non ita prosperatus est Laban in bonis suis, vigilante ad gregem Jacobo, ut Roggenburgum ditescebat, sedente ad clavum Michaële. Argum sefellit Cacus, qui dormiente Pastore rapuit vaccam; oculis Abbas noster leonis in morem dormivit apertis, non tantum ut nemo raperet bona, sed etiam ne ulla præteriret occasio, augendi possessa. Quare ut caulam haberet benè custoditam, quæ largâ manu concefferant Imperii Moderatores, renovata, confirmata, dilata voluit per Mathiam I. Rudolphi II. Successorem. Justa petenti non defuit Imperator, qui sub augustissimi sui Nominis umbra jam anno 1612. tutò quiescere publicis litteris testatus est omnes Roggenburgo concessas gratias, immunitates, Litteras, privilegia, judicia, Voctarias, Dominationes, Vineas, Aquæductus, pascua, prata, sylvas, piscinas, NB. gejadt, fructus, Census, Vectigalia, observantias, prout hæc omnia prima vice confirmaverat Maximilianus I, adjectâ eadem pœnâ 20. marcharum auri puri. Eodem anno & die confirmavit etiam Privilegium de exemptione fori, excipit tamen Matthias res & Casus illos, qui in Maximiliani I. Ordinatōne Judicij aulici Rotwilani titulo quinto partis secundæ exprimuntur. Æquè facilem in confirmandis Privilegiis nostris expertus est Ferdinandus II anno 1627. quod concernit Protectorem & Conservatorem Monasterii, is sub Michaële fuit Ferdinandi Archiducis filius natu minor Carolus, S.R. I. Marchio Burgoviensis, Landgravius Nellenburgensis, Comes de Hochen-Rechberg, Veldkirch, Bregenz, & Hochenegg, qui litteras protectionis anno 1611. communicavit Roggenburgo. Litteris istis inserta legitur copia Rudolphi de anno 1586. 28. Julii, in qua Conservatorium transtulit in Ferdinandum Archiducem sub sequentibus conditionibus, etiam à Carolo servandis. 1º. ut Conservator Abbatem, Priorem & Conventum Monasterii nomine Cæsarî & Imperii per decennium protegat atque defendat. 2º. quo non obstante sit & maneat Roggenburgum Status ac Monasterium Romani Imperii. 3º. ut Conservator eo, quo reliquos Marchionatûs Burgoviensis Infassiatricos, modo foveat, novis molestiis, vectigalibus, equis, hominibus, canibus, aut alio quovis modo non oneret. 4º. pro Conservatorio annuatim pendantur quindecim floreni.

Sic itaque repagulð januis obductð, in bonum Cœnobii sui negotiari cœpit Michaël, jam steriles elocando pecunias ad censem, jam varia bona coëmendo, inter quæ, prætermisssis minoribus, eminebant tria prædia rustica Niderhusii, Roggenburgo per sexies mille & obtingentes florenos incorporata; item aliud in Braittenthal cujusdam Nobilis de Erolzheim ad hastam properantis. Muros deinde Collegii nostri tum vetustate collaposos tum bellorum motibus concussois restauravit. Novum insuper ædificium idque satis amplum, Canonicorum suorum habitaculis destinatum (nos Dormitorium vocamus) à fundamentis erexit; aulam verò, ut vocant, actibus publicis & Disputationibus destinatam bellè exornavit, ac tabulato superiùs subtili è ligno arte & opere mirando. Crederes, sic exhaustum iri Abbatis marsupium; sed falleris; namque domum suam ære alieno gravatam magna ex parte levavit. Ubi ubi demum onus quodcunque removere potuit, in utilitatem Canonici respiciens, absque ullo personarum respectu fecit. Unde molestias à Carolo Monasterii Conservatore cauatas æquò tantisper animò tulit, & hinnulis equorum hyberno tempore liberaliter in grangis suis & locum indulxit & pabulum, nudis gratiarum & benevolentia promissis compeniatum. At cùm Serenissimus Princeps vice quadam insinuaret, se quadraginta quinque equis stipatum ad dies octo venandi gratiâ Roggenburgi commansurum, intrepidè respondit Abbas, hospitem fore gratissimum, si prius de avena prospiceret equis. Porrò eidem Principi pro defensandis Canonici suæ juribus nec latum unguem ceslit unquam. Eadem animi libertate fese opposuit; cùm multo milite pagos & villas gravari cerneret, ægerrimè persuasus, ut quatriduo saltem tectum cum foco indulgeret. Nil effrons fingo, si bifrontem effingo Michaëlem, qui præsentia simul & futura oculo haud fallente inspererit. Vix Germaniæ fores pulsavit Bellona, jam præveniente manu sollicitabat & impensè rogabat salvam ædibus suis quardiam, & rebus aliò transvehendis immunitatem à vectigalibus, quam eo ipfissimo die impetravit, quo Gustavus Adolphus voluntibus per æra signis victor civitatem Augustanam ingressus est, milite undequaque ad opimam prædam evolante. Restat igitur, ut cœlo vix non labascante minimè noctantem intueamur Atlantem.

## §. III.

*Michaël Abbas fortissimus.*

**S**ed heu! quò me malus abstulit error? profundo sine fundo immergor, dum tempora Gustavi commemoro. Vel sola cogitatio crines erigit, frontem obnubilat, in lacrymas cogit oculum, pallorem inducit genis, verba medio truncat in gutture, currentem fistit calatum. Ergò ferrum date, ut stylō ferreo æneo describam tempora. Absit autem à calamo, ut tentet exprimere, quād dirè Germaniam universam presserit, oppresserit, suppresserit insanus Martis Suecici furor. Non tantum ululant Jeremiæ threni, quantum lamentantur pennæ, quotquot in describendo calamitoso hoc patriæ excidio desudârunt, de quo illud Poëtae Sulmonensis jure dicitur: *hæc facies Trojæ, cian caperetur, erat.* Nos, quæ domi nostræ nata fuit, recenfemus mala. Annus circiter supera millesimum sexentesimum trigesimus secundus fluxerat, cùm in viciniam imo & lares nostros penetravit miles Suecicus, ferro & igne depopulatus quælibet. Non fanis, non profanis parcitum, sævitum æqualiter in omnes, laetentem & senem edentulum, socrum & nurum, filiam & Matrem, sororem & fratrem. Lapidès Sanctuarii disperfi, muri quaquaversum diruti, Sacerdotes gementes, imo huc & illuc profugi, adeo ut P. Ludovicus Vogl Prioris simul & Pastoris in Ingstetten munere fungi coactus fuerit: Abbas è terra sua, tot laboribus culta, tanto sudore rigata exul Beneduri, cives & subditi dirissimè excarnificati, in cute luit, quisquis non habuit in ære, quo ferrum cervicibus arceret. Dies me deficeret, si omnem militis Sueci barbariem commemorare vellem. Ex unius alteriusve clamore Perillum cognoscite. Andreas Dojer per annos complures Monasterii nostri coquus à quodam Suecô graviter primò percussus, dein immisso ori ejus baculo, magnam aquæ copiam violenter infusam coactus babit, variè demum ad mortem usque tortus, aliquot hebdomades superstes tandem inter gravissimos dolores occubuit. 22. Augusti 1633. Cordula Klingin conjugata de Schlebuch utramque manum grandioribus clavis sibi perterebrari doluit, & ipsa post hebdomades aliquot mortua 9. Julii 1634. Quos autem è medio non tulit ferrum, sustulit famæ aut pestis, gemina Martis pedissequa. Sic enim testatur Necrologium Ingstdianum, omnes, quotquot ab anno 1633. usque ad annum 1636. obierunt, aut fame aut peste horrenda defunctos, adeo ut Liber citatus Ingstdianos referat ducentos & nonaginta sex, tum Weissenhornii & Biberaci, tum alibi tumulatos, Reverendissimo Abate interim in exilio suo sub malorum vi ingemiscente. Sedatis non nihil turbis, post quadriennium denique ad filios magna ex parte adhuc dispersos rediit Pater, sed præter tristes ruinas, bellique deplorandas clades, quibus omnis Præfulis labor periit, omnino vidit nihil, dum Roggenburgum venit, sed Roggenburgum in Roggenburgo non invenit. Falleris autem, quisquis putas, Michaëlem, cuius vultus primo detupræ Sponsæ aspectu concidit, etiam animo cecidisse. Ut fulminantes calorū globos aut nubes sævum immugientes non metnit avium rex, ita Michaëlem gravissima non perterritu ruina. Vires equidem destituere senem jam annos sexaginta septem habentem, virtus tamen non dereliquit juvenem animum. Igitur animosè rem aggreditur, illata Canonizæ suæ damna incomparabili fortitudine reparare nititur, pristinum Sponsæ deorem restituere totis conatibus molitur. Triennio opus urget fortiter, labori instat alacriter, cùm senectus, quæ ipsa est morbus, opus imperfectum relinquere jubet authorem perfectissimum. Quare, cùm ea tunc tempora essent, quæ vel æneum hominem, prout ipse conquestus est, frangere potuissent, eos, quorum intererat, instantissimè sollicitat, onus Abbatiale septuagenario deponere liceat, qui etiam perspetuis cognitisque, quanta Præfulis optimi dexterimique virtus tolerasset, qualia laudatissimi regiminis sui tempore patrasset, inter plurima laudum encomia petentis annuerunt precibus, & emeritissimum (sic Instrumento Resignationis inseritur) a munere suo absolverunt anno 1693. die 5. Decembris, annum deinde adhuc integrum superstes, cùm singula disposuisset quād optimè, desideratus omnibus, malis quibusunque etiam Marte superior, sola morte inferior cecidit 15. Decembris 1640. ingentem à morte sui memoriam relinquens. Sepultus est propè Sacristiam in ipso sepulchro Reverendissimi D. Georgii Mahler Abbatis III, quem pro viribus æmulatus est.

Figura scuti Abbatialis superius digona, tum perpendiculariter ex utroque latere descendens in rotundum definit. Parmula transversè per centrum secta duabus areis constat; superior aurea Angelum refert, qui sinistra manu stateram tenet lancibus in æquo consistentibus, & dexteram protendit gladiō armatam; in inferiori cœrulea tres aristæ candidæ è triplici colle viridi protuberantes conspicuntur.

## §. IV.

## §. IV.

*Michaëlis sollicitudo pro Ecclesiis Filialibus.*

**Q**ui tanta sollicitudine curavit Roggenburgum Matrem, nequaquam Filias ejus neglexit, Administratores submittens, omni laude dignissimos.

Primas inter Sanct Lucenses meretur Joannes Kopp, Canonicus & Prior Roggenburgensis Religiosissimus, Administrator denominatus anno 1630. Sexennium Beneduci egit, tum ad S. Lucium primus ascendit, ibidemque residere, locum possidere, Monasterii turrim, Chorum, Sacrarium & Capitulum restaurare caepit, Fundatoris nomine dignus & Mitra, quam Capiti imposuit annus 1639. sequenti verò ab Episcopo Curiensi Benedictus, vix non ipsum benedictionis diem vitæ habuisset ultimum, nisi divino adjutus auxilio insidias & manifestum mortis periculum, quod duodecim larvati te-nebriones paraverant, feliciter evasisset. Vindictam Joannes reliquit Deo, qui scelus vindicare non distulit; unus enim ex Coriphæis Prædicantis filius, occiso fratre suo ejusdem criminis duce ac socio, in fuga salutem querere coactus, velut Cain à facie Domini profugus delitescere debuit. Cæterū ea sub Joanne fortuna Cœnobii fuit, ut alii ad Professionem admitti, alii foras ad studia dimitti potuerint, quos ipsemet Fridericus Abbas Roggenburgensis Dilingam duxit, ibique præsentavit. Vitæ finem Joannes fecit anno 1661.

Inter Churwaldiæ Administratores, fata Caroli Berz commemorari merentur. Is anno 1614 constitutus, etsi Monasterium, potissimā bonorum parte ablata, valde gravatum invenerit, spiritualia tamen & temporalia, quantum afflcta patiebantur tempora, tam sedulè curavit, ut eximiā à Simone Maurer Abbe Sancti Lucensi laudem tulerit. Sed spem omnem elusit præsciditque tempestas non nisi ignem & grandinem in Caroli caput detonans. Etenim anno 1616. die 17. Octobris Toparcha Churwaldensis, Tschirtenses, Malixenses, & Barponenses Churwaldiam convocavit, ibique absque omni causa, & contra juramentum præstitum exposuit, Ecclesiam toti Communatati esse communem, indeque prædictorum pagorum incolis æquè ac Churwaldensibus jus competere, suffragia ferendi, ac Pastorem (Prædicantem) instituendi. Quod quidem bonorum avidæ plebi adeò suasit, persuasitque, ut proposita quæstione, & collectis ab iisdem votis, an Ecclesia Churwaldensis communis esset, reclamante propriâ conscientiâ id affirmare nequaquam horruerint, esto, velut murum æneum se opposuerint Catholici, uno ore conclamantes: dictos tres pagos Tschirtsen, Malix, & Barpon propriam Ecclesiam & Prædicantem habere, ab iisdem ne obolum quidem aut in ædificationem aut reparationem Ecclesiae Churwaldensis collatum esse, propria pacta & transactiones jus clarum dicere. Quin imò his omnibus etiam juramento confirmatis, pertinaciter tamen contemptis, altera mox die (18. Octobris erat) omnia Ecclesiae Churwaldensis bona mobilia descriptsere, tum post aliquot horas ad trium pagorum acclamationes, per duos viros, quorum unus protestatione nequaquam obstante coactus fuerat, P. Carolo significari voluerunt: actum discederet; ita concordantibus votis conclusum esse, Churwaldiam desereret, & quæ secum attulisset, quantocuyus compacta asportaret. Ita illi, quos publica Instrumenta, proprio ipsorum sigillo munita, absterre debuissent, ne vel in minimo Churwaldiam invasionibus suis affligerent. Interea cùm dies inclinata jam esset, quidam pro Carolo intercessit, atque ægerrimè impetravit, saltem liceret abitum differre in crastinum. Manè autem facto, Zelosissimo Administratori, oblatis ad incommoda itineris ferenda duabus floenis, migrandum fuit.

Carolò violenter extrusò, Jodocum Gantner Prædicantem immittunt, qui per annos tres cum dimidio illic commoratus, Dei maledictionem palam expertus est, spectris nocturnis diurnisque exagitatus, pecorum subitaneas mortes & agrorum sterilitatem passus; unde ad desperationem ferè actus loco cessit & regimini. Ad S. Regulam præco Evangelicus, ut ajunt, institutus à Magistratu, redivivis timoribus, & spectrorum renascentibus ideis adeò turbatus est mente, ut per fenestram se præcipitem dederit. In desertam Ecclesiam continuò Joannes Curiensis Episcopus induxit P. Georgium Häberle Canonicum Roggenburgensem de Patris-Abbatis consensu, qui terricula menta ab hæreticis & malevolis venditata, & ab ingressu removentia, flocci faciens, fide munitus, & advolantium ad Campanile candidarum columbarum adventu præfago roboratus, risit nocturnos lemures, imò nullos vidit, audivit nullos, spectra enim, inquietabat, veris possessoribus non solent insidiari, sed malis. Ad miraculum paßim

Tan. VI. Collect. Monast.

E e

divul-

## 110. HISTORIÆ ROGGENBURGENSIS

divulgabatur habitatio pacifica P. Georgii in Churwaldia Cœnobio. Concurrebant ad illum vicini, vel famâ sanctitatis, vel studio curiositatis electi, quos ille occasione dicendi arreptâ, de religione, de moribus, de fide erudiebat. Mansit autem Churwaldia annos duos, & locum denuò cessit Carolo. Post hæc Michaël Abbas indefessis Friderici Rommelii Subprioris sui laboribus tandem effecit, ut omnia feuda Monasterii pro caducis declarata fuerint, sylvâ cum pascuis Cœnobio adjudicata, & viâ publicâ per Conventum à sectariis aperta, denuò obstructa.

### §. V.

#### *Annotationes.*

**M**athias Rudolphi II. Frater Rex Bohemiæ & Hungariae vivente adhuc & volente Rudolfo, in Imperatorem verò electus est 3. Junii 1612. dum rebelles Bohemos armis subjecere parat, ipse mortis legibus subiectus est Viennæ anno atatis 62. Christi 1619. postquam sexennio Imperium laudabiliter administraverat.

Ferdinandus II filius Caroli Archiducis Austriae, & Mariae Annæ Bavariæ, natus 1578. die 9. Julii, electus Rex Bohemiæ 29. Junii 1617. Hungariae 1. Julii 1618 Romanorum 28. Augusti 1619. post victoriam Pragensem de Friderico Electore Palatino, qui per ludibrium Rex hyemalis scribitur, relatam, Superiorum Palatinatum transiit in Domum Bavaricam. Medios inter bellorum turbines obiit 15. Februarii 1637. ætatis suæ 59. Imperii 18. Princeps cæterorum omnium exemplar & idea perfectissima, sapiens, justus, & nulla unquam adversitate fractus, singulari pietate & Deo & hominibus factus amabilis, quin & hostibus terribilis, utpote qui plus formidabant orantem, quam aperto Marte pugnantem.

Anno 1610. Henricus V. ex illustri familia de Knöringen, Episcopus Augustanus juxta Mantissam Stengelii LX Synodum Diæcesanam ad diem Octobris tertiam indixit, cui Reverendissimus Abbas Michaël cum procuratoria potestate interesse voluit P. Joannem Weh Priorem Roggenburgi.

Anno 1614. die 9. Novembri Ingstadii ex Jacobo Ilg & Anna uxore natus in lucem prodit monstrosus infans, Joannis nomen in baptismo sortitus, ore satis horrido, scilicet exteriùs intuque patulis naribus, & labio superiori per medium scisso, rostellum quasi pisces habens subtus nasum. Obiit 1. Septembri anno 1615. postquam novem mensibus & 22. diebus vitalem persensit auram, feliciori fruiturus in cælo. Ejus Mater 22. Novembri 1616. similem fœtum, sed mortuam edidisse perhibetur.

Cum Sacra S. P. N. Norberti Lipsana summo Bohemiæ totius applausu, sub Augustissimis Ferdinandi II. Imperatoris auspiciis, post tot studia, exactissimas inquisitiones, erecta Instrumenta publica &c. in Montem Sion, seu Monasterium Strahoviense, propè Pragam translata fuerint, mirari satis nequo, quod nescio qua sinistra suspicione, non dicam ratione permotus non nemo scripsit, à civibus Magdeburgensis rogo injecta, atque in odium Ecclesiæ Catholicae concremata fuisse. Reddō tibi, Lector benevoli, è vernacula in linguam Latinam fideliter translata verba, quæ legi in Libello quodam, cui Titulus: *Neu erhabter Himmels-Schaz*, edito anno 1698. ubi fol. 226. Author ita habet: Quam vera hæc sint, dannō suo experta est infelix civitas Magdeburgensis. Et enim posteaquam à Romano-Catolica fide ad novum dogma defecit, & paulò post odio & invidia stimulante eò proceſſit, ut proprii sui Magdeburgensis Dominii & urbis Patroni S. Norberti Archiepiscopi sepulchrum sacrilegè invaserit, ejus sacratissimum Cadaver & ossa extraxerit, extra urbem mania succenso rogo injecerit, atque NB. in cineres combusserit; verum Divina Nemesis non diutardavit; nam factum est (ut pius Sacerdos ipsis prophetasse dicitur) ut post annum civitas Magdeburgensis à D. Generali Tilli multo milite impugnata ex mandato Cæsaris, expugnata, & totaliter concremata fuerit. Hæc Author. Quibus in verbis tria præcipue, nescio quo Fundamento, audacter asseruntur. Et primò quidem, Sacra S. P. Norberti à sepulchro suo raptata, secundò extra urbem rogo injecta à Magdeburgensis in cineres fuisse redacta, & tertio denique anno scelestum hoc facinus sequenti ab Illustrissimo Comite Tillio Parthenopolitanos urbis exustione castigatos esse. Ex quibus tandem (siquidem vera essent) ultrò conjectaneum est, ficticias duntaxat (quod interjecto verbis NB. haud obscurè indicatur) non veras S. P. N. Norberti Reliquias in Bohemiam translatas, Augustissimum Imperatorem Ferdinandum, Reverendissimum Montis Sionæ Abbatem Casparum à Questemberg, Bohemiam universam, Romam ipsam & totum Ordinem Præmonstratensem turpiter deceptos fuisse ac delusos.

Sed



Sed nempe Authori hujus opusculi ad manus non erat *Narratio* translati è Saxonia in Bohemiam Sacri Corporis Beatissimi Viri Norberti &c. anno 1627. typis Pragensibus edita, ubi ex rerum gestarum ordine de diem in diem circumstantialiter & clare exposito, ex publicis desuper confessis Instrumentis, ex decreto Pontificio luculenter intelligere potuisset, quām procul à centro veri aberraverit, dum manu nimis tūm currente, temerē, & nullo nixus fundamento in orbem divulgavit, sacra Beatissimi Norberti Patriarchæ nostri osta super accenso rogo in cineres resedisse. Nos proin Lectorem nostrum ad præfatam Narrationem remittimus, vel ad Bibliothecam Ordinis Præmonstra tensis à P. Joanne Le Paige editam, in cuius parte secunda enucleatè descriptam reperiet inventionem & exhumationem Sacratissimi Corporis S. Norberti.

## C A P U T X V.

## Fridericus Rommelius, Abbas XV.

## §. I.

*Qualis Fridericus fuerit ante Prælaturam.*

**V**ixit Abbas Michaël, vivere tamen non desit, quia totus in Friderico vivit, quem ad imaginem suam ita totum effinxit, ut nemo non Fridericum dixerit Michaëlem, & in Michaële viderit Fridericum.

Mindelhemii ex Patre Joanne Rommel Dynastiae Præfecto mundo natus, de mundo non fuit, neque mundum cognovit, utpote qui mundi tumultibus satis maturè fese subtraxit. Præmonstratensem in Canonia nostra indutus virtute ac mira ingenii capacitate mox prodidit, Virum se fore, & Ordini universo & nostro præprimis Monasterio summè proficuum. Dilingam ad Studia missus, problema reliquit, an plūs Fridericus Musas, an Musæ Fridericum magis coluerint, namque Theses publicas & impressas ea cum laude defendit, ut laureatus ex arena descenderit, SS. Theologiæ Licentiatus. Domum reversus Virum, quidesiderari poterat, ad amulsum expessit, nemo tamen unquam discernere valuit, utrum virtus an scientia major in Friderico fuerit, licet omnes uno ore dixerint piè doctum & doctè pium.

Anno 1624. ad Grysones cum potestate extraordinaria in Religiosos ibidem degentes missus in ambone sacro Oratorem ita facundum, in vinea Domini operarium adeò zelosum egit, ut fructum centesimum à plebe, singularem & publicam ab Eminentissimo Nuntio Lucernensi laudem tulerit, in peragendis ibidem negotiis strenuam navasse operam, summaq[ue] exinde dignum esse Superioribus suis commendatione.

Revocatus ad propria altioribus scientiarum disciplinis ex Cathedra legendis præficitur, in simul officio Subprioris honoratus. Suum Græciæ Platonem, Parisiis Alensem, Italiæ Thomam non invidit Roggenburgum, quādiu in cathedris vidi Fridericum, qui penè Apolline major ex trunco formare novit Mercurios, dum Schola sua non dimisit nisi viros tales ac tantos, qui ad omnia magna emitti poterant. At licet totus versaretur in litteris, oblitterare tamen nunquam voluit Monasterii commoda, jam tum in omnem utilitatis promovendæ occasionem vigil, qui quondam futurus esset vigilantissimus. Cum enim Michaël Abbas commoda Religiosis filiis habitacula conſtruire moliretur, Fridericus nullum non movit lapidem, ut pater suus subministraret ligna, quod quia benignè præstítit, memoriam sui aurō dignam reddidit. Neque hic stetit indefessus Friderici labor; quin ad majora & gravissima Ordinis Sacri negotia manum extendit, non retracturus, nisi victam dedisset, contra quem ageret. Vehementer ingemiscebatur, insignem Ordinis nostri Canoniam Adelbergam non lapillo à monte avulso corruisse, sed per hominem, qui in lapidem obrigerat, esse ab Ordine avulsam. Hinc pro recuperanda Roggenburgi Filia primò Librum integrum eruditissimè scripsit, deinde in Comitiis Ratisbonensibus tam potenter dixit, ut Ferdinandus II Romanorum Imperator Restitutionis Instrumento subscriperit.

Ad Prioris postea Officium sublimatus, & Novitiorum Magister constitutus, qui Thomas Aquinas in Theologicis audierat, in Asceticis Kempeniem se probavit. Utque Suos per vias rectas deduceret, semitas rectorum inire voluit, quoddam Castitatis Sodalitium erigendo, utrique Josepho Sacrum, illi nimirum, cuius virga floruit, ut mereretur Sponsus esse Virginis, & alteri, qui velut lily effloruit, meritò Steinfel-

dixæ copulatum Rosæ. Nemo est, qui ignoret, quot curas pariat, quot labores comtentur Officium Magistri, sudandum interdiu, laborandum est noctu, ut vinea electa non faciat labruscas. Et tamen tanti momenti negotium quasi per otium ita gesit Fridericus, ut plus quam satis horarum & temporis superfuerit otio Scholastico. Illo enim tempore elucubravit præclarissimum opus, & absolutissimum ingenii Fridericiani partum *De Jure Abbatum*, prælo publico commissum, & omni jure omnium ore laudatum. A Jure activo Prælatorum pulcherrimam digressionem fecit ad Jus passivum subditorum, pientissimo, eruditio ac Spiritu abundantiæ supereffluente Commentario in Regulam S. Augustini obligationem Religiosorum enucleando, ne soli inhærentes cortici dentes lèdant frangantve.

At ecce! dum hisce laboribus instat, militaria reboant tympana, sonant ad pugnam classica, Mars Suecicus inundat Germaniam, rupto velut aggere effunditur in Sueviam, tanto quidem furore, ut sola in pedibus fuerit salus. Dilabitur Abbas Benedurum, aliis ex singulari gratia & clementia administrandæ in Diœcesi Curiensi committuntur Parochiæ, alii alibi reperiunt locum, ubi caput reclinent, solus Fridericus, cum facultates non ferrent amplius, in exilium migrare cogitur, & quorumcumque demum, qui exulanti suppeditias ferrent, clementiæ ac miserationi relinquitur, ac solæ in comitem dantur litteræ, quibus extorrem se probaret, ita sonantes:

Michaël Abbas in Roggenburg, Diœcesis Augustanæ, Ordinis Præmonstraten sis, omnibus, ad quos nostræ Litteræ hæ pervenerint, Salutem & pacem in Domino. Tristis Germaniæ nostræ calamitas, quæ plerosque alias, demum etiam Sueviam, & in hac Cœnobium nostrum Roggenburgense perculit, nosque coëgit à Statione nostra discedere, & Christi consilio à persequentibus de una in aliam civitatem migrare; atque in communis hujus vitæ exilio etiam particulare sentire. Quod quidem Dei gratiâ propter Christum libenter patimur, sperantes, & aspicientes illam patriam, quæ exilio finem, gloriæ initium nunquam finiendum imponit. Interea tamen, quia quādiu in hac carne sumus, carnis sustentatione egemus, rogamus & singulos & omnes in Christo, ad quos Dilectus Frater noster Fridericus Rommelius Prior noster laudatissimus, SS. Theologiæ Licentiatus &c. &c. cum his litteris à nobis legitimè dimissus per venerit, ut eum, qua possunt, charitate, auxilio, consilio foveant, supportent, protegant, certi, Christo se facturos, quidquid huic minimo in Christi nomine fecerint. Nos etiam, & quotquot de prædicto Cœnobia in dispersione sumus, hisce benefactoribus nostris grati memorésque æternum erimus, &, si Deus nos denuò congregare (quod speramus) dignabitur, iisdem, à quibus temporalia accepimus, spiritualium precum & operum piorum incrementa & suffragia, quanto poterimus cumulo, in Domino remetiemur. Atque insuper huic Fratri nostro in virtute salutaris obedientiæ injungimus, ut statu sui conditionem singulis mensibus nobis insinuet. In quorum fidem præsentes consueto nostro sigillo & manu firmavimus, & dedimus. Datæ in Parochia Benedurana 8. Augus. 1634.

Michaël Abbas  
ibidem exul mppria.

Cum his itaque litteris à suo Abbate dimissus, tristissimo tamen & ancipi tñ rerum statu nihil turbatus, recta ad Canoniam Wilthinensem Ordinis nostri Cœnobium tendit, ibique locum in diversorio feliciter invenit. Et quoniam ad instar ignis quiescere nunquam potuit aut voluit, alias consiliis suis doctissimis juvit, & Ecclesiæ Wilthinensis exemptionem contrà Episcopum Brixinensem, irrito licet conatn, mordicus defendit. Fridericum natura virum fortem genuit, atque ideo patriam sibi ubique creditit; semel tamen in amaras lacrymas solutus exulem sese confessus est. Nempe cum exactio nes bellicæ increbrescerent, & subditis non minus, quam ipsi Canoniae nostræ ab hostibus extrema pernicies immineret, ut solvendis litris par esset, omnis thesaurus Roggenburgensis & Supellec argentea, Wilthinæ dœposita, conflari, & ad monetales taleones liquari coactus fuit. Pondus liquati Suazziæ (vulgò Schwaz) argenti octogenti marchas & drachma unum æquavit. Tandem remittente non nihil furore Suecico ad lares patrios remeavit Fridericus, & trienniō solertissimum egit Priorem. Quo expleto dictum est ipsi: *amice ascende superius.*

## §. II.

### *Quantus Fridericus fuerit in Prælatura.*

Quem pedes septuagenarium ægrè ferebant, sponte sua libertèque pedum è manibus dimisit emeritissimus Abbas Michaël, ut soli deinceps Deo, fortissimo senectutis suæ

suæ baculo, inniteretur. Præviderat credo pientissimus Præful, dimissum Michaëli alteri committendum, nempe Friderico, qui ipso Resignationis die, Mensis Decembriæ quinto anni 1639, quod ad immortalem Friderici laudem cedit, per viam quasi Inspirationis Divinæ in Abbatem electus est, præsidente Reverendissimo DD Matthæo Abbatore Urspergensi, Assistente Reverendissimo DD. Ludovico, Præfule Rothenfi per Sueviam Vicario Generali. Septimo ejusdem fidelitatem Neo-electo jurarunt Subditi, quo ipso die in Abbatem S. Lucii electus est Joannes Kopp, Canonicus Roggenburgensis, de quo Capite præcedenti.

Curam ex omnibus primam impendit interiori Domus suæ Statui ritè disponendo, in quem finem mox die Decembriæ octavo Priorem, Subpriorum & Cellarium, demum in Churwaldiæ Administratorem nominavit P. Georgium Häberlin, virum doctrinâ celeberrimum & in cura animarum diu multumque exercitatum, qui tamen propter rerum pehuriæ aliisque adversitates, quas jam semel expertus fuerat, inter Calvini Sectatores sustinendas aliquamdiu tergiversatus, consensum denique dedit, rogatis solum induciis, quibus post Natalitas Christi Ferias parochiam Wesianam, quam in Helvetia administrabat, decenter & congruè resignare valeret. Petitas Fridericus concessit inducias, missio, qui interea temporis Divina Churwaldiæ faceret, P. Joachimo Hochenegger.

Exultabat præ gaudio Roggenburgum, Præfulem talem ac tantum à cælo sibi do-  
natum, soli ringebantur Præfecti Marchionatûs Burgoviensis, & nescio quam Serenissimo Canonice nostræ Conservatori factam injuriam calumniantes, quod nec vocato nec præsente supremo Marchionatûs Præfecto celebrata esset electio, per litteras Gynzburgo missas protestando, & sua Conservatori jura omni meliori via reservando, totum actum quasi cassum, nullum, & irritum declarare attentabant. Rei novitatem ac insolentiam miratus summoperè Fridericus, Raymundum pennæ fortis feso ostendit, dum, quæ sint jura Ordinis & privilegia, ignorantes edocuit, & quæ inceptè precarium Conservatorii jus præsentiam in actu Electionis exigat, solidissimè demonstravit, nullis, quod scimus, deinceps litteris super hoc puncto fatigatus aut turbatus.

Itaque cum in pace essent omnia, ad externa operam contulit, ut faceret Jeru-  
salem civitatem perfecti decoris, & antiquâ splendidiorem ab illis, quæ magis necessaria videbantur, initium fecit; & quoniam aquæ ductus, opus sanè rarum & pretiosum, quo aqua Canonice nostræ in edito monte consistenti necessaria ex Biberi fluviolo, subjectam vallem interfluente, ultrâ duo pedum millia per canales plumbeos in altum ascendere cogitur, Suecorum insolentia destructus fuerat, & propterea undarum penuria laborabat Monasterium, ut restauraret quantocyùs, peritissimos hac in arte Magistros ex Imperiali Civitate Ulmensi convocavit, qui magnis aquæductum sumptibus reparârunt, impensis in hoc opus viginti & uno, & propè duobus orichalci centumpon-  
diis, ut propria manu testatum reliquit de anno 1641. die 10. Decembri.

Aquâ sic reparâ, aqua denuò hæsit, quia Mars, qui modicas duntaxat Præfulis virtuti inducias concessisse videbatur, iteratò sitivit sanguinem. Cum enim dissidentes Germanicæ partes componi inter se aut non possent, aut non vellent, & propositæ pacis conditiones neutri litigantium parti arriderent, amarum flere rursus fecere patriam ad ferrum provocantes. Vix superatis fluctibus & novis miserè involutus meritò cum Poëta exclamavit Fridericus:

Qui venit hic fluctus, fluctus supereminet omnes,  
Posterior nono est undecimoque prior.

Nam Adelberga Ordini & Roggenburgo iterum ablata, Churwaldia furentis in Gry-  
sonia Calvinismi rabie impetita agonizans jacebat, ipsa Mater Roggenburgum periclitabatur, Sponso suo dilectissimo Beneduri exulare coacto. Paucis: manè usque adeò turbidum præsagiebat ferotinum non nisi tristissimum. Sed fortis ac intrepidus Abbas ultimam avertit ruinam, utpote qui in loco exilii sui jam Churwaldenses adjuvit strenuè, jam domestica curavit providè, dum Præfectos Gynzburgenses per litteras iteratas sollicitabat, ut denique census annuos jam ab aliquot annis restantes Monasterio extremè indigenti reddere non amplius different, ac per moram Debitoris morosi periculum augeatur Creditoris usque modò patientissimi. In Würtembergiam quoque excurrit, quatenus dilecta suæ Adelbergæ succurreret, geminatis identidem curarum fluctibus ita obrutus, ut, quam in partem se verteret, quem primò, quem deinde juvaret, plus quæ Hercules in bivio, fluctuaverit. Atque in hoc rerum statu inter decumanas procellas remigandum Friderico fuit usque ad annum 1648, quo, pace Westphalica composita, domum cum unico duntaxat servo (ut ipsem scripto reliquit) reversus,

Tom. VI. Collect. Monast.

F f

nemi-

neminem præter Cubicularium suum , janitorem , & coquam invenit , initium rei øconomicæ cum vacca mediocri & vitulo facturus . Sed placet hic propria Friderici verba inserere , quibus in epistola post redditum suum ad Illustrissimum DD. Augustinum Le Sellier totius S. Ordinis Præmonstratensis Generalem data inter alia sic loquitur : „ Te „ Æta Cœnobii squalentia , hiulcos parietes , desertos agros , fame belloque enectos , „ sedibùsque pulsos subditos hodie non queror ; queror desertas aras , suspensa Divine laudis „ in sacra Æde organa , religiose Disciplinæ nervos incisos , pretiosam sacram juxtâ atque „ profanam supellestilem in militis stipendia erogatam , laxatam Regulæ & Constitutio- „ num compagem , concussas convulsasque , quibus Religionis nostræ splendor antehac „ innitebatur , columnas , nullis , quod dolendum magis , novitiis substructionibus sus- „ fultas , studiorum contentiones remissas . . . Adelbergam Ecclesiæ meæ filiam , tanta „ mole sumptuque in Cæsaris aula Ordini nostro restitutam , rursumque abreptam , ipse „ ejusdem loci destitutus Abbas nuntiavit . Altera filia Churwaldia inter Gryfones „ Rhætos , jam à centum & amplius annis per mei Cœnobii homines regi solita , variis „ que discriminibus (quod inter variae Religionis tenaces solet) circumiectata , ultimum „ nunc spiritum minatur . Hæc ille .

At quamvis nigra Cœnobii sui fata admodum lugubriter describat Fridericus , can-  
didiora tamen paulò post vidit Roggenburgum , quando non laboribus fatigatus , nou-  
ærumnis fractus in id unum unicè incubuit Abbas , ut repararet diruta , resarciret de-  
structa , compensaret perdita . Quem in finem novum curavit fieri organum , quod  
vocant , positivum ; Ornatum integrum seu Vestes Sacras solennioribus Missarum  
Officiis destinatas , aliaque complura sollicitus Pater procuravit . Præterea , quod æ-  
ternitatem meretur nominis , ingentem thesaurum instruissimæ quacunque rei littera-  
riæ copia Bibliotheca posteritati reliquit . Denique ut nec minimum jus , Prælato os-  
citante , Canoniæ fux dilaberetur , primò Serenissimam Archiducem Claudiā humilli-  
mè , dein subordinatos Præfectos serio convenit , stipulatam in annos singulos ferinæ  
carnis quantitatem ultrà Monasterio non subtraherent . Addit in epistola : „ Quamvis „ in Supplicatione ad Serenissimam Archiducem nullam venationis mentionem fecerim , „ confidenter tamen spero , mihi non prohibitum , quod meis licuit Antecessoribus , „ hinnulos capreasque cervorum , vulpes , lepores & meles , apres denique laqueis &  
„ retibus venari . Cumque telonea augerent Austriaci , inter primos restitit Fride-  
ricus .

Sed & Churwaldia luculentum laboris Fridericiani fructum sensit , ut quæ magnis  
magni Præfulsis consiliis auxiliisque suffulta , alienas rapientium manus feliciter evasit .  
Cum enim anno 1644 vel 45. Calvinistæ tertid effractis Churwaldensis Ecclesiæ foribus  
contra Jura Divina & humana , insuper & pacta propria duos Sectæ suæ Ministros in  
concionem & suggestum intruderent , debitos census retinerent , & residua adhuc bona  
bona inter Prædicantem & Administratorem pro arbitrio suo dividere tentarent , Frideri-  
cus rei conscius anno 1646. 30. Octobris in optima juris forma contra quælibet atten-  
tata protestatus , dein anno 1648. 25. Julii ipsusmet Churwaldæ comparuit ; cumque  
refutatis eorum frivilis rationibus , & repetita denud protestatione , nihilominus vio-  
lenter cæpta perficerent , imò in bonis Ecclesiæ gramen demitterent Calvinistæ , Serenissimum  
Archiducem Ferdinandum Carolum Ecclesiæ Churwaldensis Protectorem inter-  
pellavit , qui datis illico ad Calvinistas monitoriis præcepit , ne quid minimum paclis  
& promissis propriis contrarium in Ecclesiæ attentarent . Hos Friderici labores & Co-  
natus , uti etiam vitam verè Religiosam Canonorum Præmonstratensium , præsertim  
Roggengurensem testimonio publico dignatus est Celsissimus ac Reverendissimus Prin-  
ceps DD. Joannes , Episcopus Curiensis , quod , quia obstruit os loquentium iniqua ,  
hic meritò de verbo ad verbum judicamus admetiendum , ita sonat :

Joannes Dei , & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Curiensis , S. R. I. Princeps  
&c. Omnibus & singulis præsentium inspectoriibus , & auditoribus Salutem in Christo ,  
ac hisce fidem adhiberi indubitatum

Multiplices , qui in Ecclesia Sancta Dei nostris jam temporibus conspiuntur , Re-  
ligiosorum Ordines propugnacula sunt , ac velut quædam benè ordinata acies Christianæ  
Reipublicæ . Quocircè nihil inimico homini , quædam eisdem ad extictionem usque in-  
fidiari , antiquius ; cumque propriæ calliditatis telis æneos hosce muros impetere ne-  
queat , diffensionis semen inter fratres totis viribüs diffundere , certa victoria spe fre-  
tus , conatur . Quod vel nunc contrà Almum Præmonstratensem Ordinem per non-  
nullos Confratres , qui non modò ipsimet Ordini , sed & ejusdem P. Generali (quem  
ex ejus Decretis pro restauratione Disciplinæ recenter huc illuc transmissis vigilantissimum  
præfigimus) insperatae calumniæ , ac si à Regulari disciplina desciscant , moribùsque  
fuis ,

suis, minùs, ut ajunt, Religiosis populo sint offendiculu, notam inurere non verentur, attentari non absque animi nostri amaritudine comperimus.

Tametsi autem certò nobis persuadeamus, fore, ut Sanctitas sua, cuius est, nemini citò manus imponere, Spiritusve, an ex Deo sint, probare, simul atque novitates, quæ nunquam Ecclesiæ profuere, removere, ac antiquitùs benè constituta conservare, debitum sit præcipiti horum Zelo impositura silentium, voluimus nihilominis & Nos, cùm bona etiam causa suo quandoque indigeat Patrono, nostram Attestationis paginam præsentibüs adjungere: prout harum tenore fidem facimus, & attestamur, ad Nos hæctenus nihil, de quo prælibati Ordinis Canonici per omnes tam Bavariæ quam Sueviæ Circulos constituti, jure insimulari valeant, pervenisse, sed potius eos, prout nostra ex scientia, tum etiam nomine famaque publica legitimè nobis constat, in & extrà Monasteria religiosè semper vixisse, ac bonæ vitæ odore, doctrinæque face laudabiliter mundo præluxisse, præluceréque ad præfens, eoque mentis aciem, quomodo Monasteria Divinis iterum laudibus post tot bellorum tempestates resonent, animarumque cura, quam pluribus in locis habent, reparetur, tanta sedulitate figere, ut digni sint, qui ab Apostolicae Sedis clementia contra quoscunque foventur, proteganturque. Duo porrò hujus Ordinis Conventus nostra in Diœcesi extant, is videlicet, qui ad Sanctum Lucium propè muros hujus Civitatis per Episcopos Curienses eidem Ordini ob singularem ejus sanctitatem jam olim aggregatus; Churwaldensis alter, ambo vera omnium virtutum, Regularis observantiae, Zeli maximè in fide Catholica tutanda, tametsi inter medios hæreticorum scopolos constituta, non malè dixeris Seminaria. Extat enim præclarum celeberrimi Viri THEODVLI Abbatis ibidem ad Sanctum Lucium specimen; furente siquidem per Rhætiam Calviniana hæresi, eidem tanta animi constantia obstitit, ut pro fide Catholica mortem subire, capite ab infida plebe plexo, non dubitarit. Ac licet tanto Viro sic obtruncato, ambo præfata Monasteria fuerint mox ab Hæreticis usurpata, nunc tamen operâ Prædecessoris nostri JOANNIS Episcopi Patrui nostri, prout diligentia Abbatis Joannis de Roggenburg (cujus Prælati præfatorum duorum Coventuum sunt Patres Domus) denuò non sine Catholice Ecclesiæ ornamento, ac Catholicorum solatio restituta, modòque peculiari vigilantia Multum Reverendi Friderici moderni Abbatis de Roggenburg, uti Patris Domus, nec non Joannis nunc existentis Abbatis ad S. Lucium taliter conservari, ut spes integræ in iis restorationis affulgeat, gratanter intuentur. Hisce addimus, quam plurimos ex Monasteriis Sueviæ hujusmodi Ordinis utpote à Sueco milite expulsos Authoritate nostra curæ animarum diversis in nostræ Diœcesis locis inserviisse, quos omnes tam vitâ, quam solidâ doctrinâ ita conspicuos, ut cæteris aliorum Ordinum Religiosis (absit invidia verbo) facile præcelluerint, sumus experti. In quorum fidem &c. Cu-  
riæ die 13. Februarii Anno 1651.

Joannes Episc. Curiensis,  
(L.S.)

Mag. Tob. Zelfius  
Secret.

### §. III.

#### *Friderici mors.*

Itinerum per Sueviam, Bavariam, Tylorim, Würtembergiam, Helvetiam & Grysoniam molestiæ, inundulantes exiliorum procellæ, perpetua laborum onera tandem fregere Fridericum, ut multò neandum seniò gravem. Itaque infirmatus est Præful fortissimus anno 1655. de periculo tristes metuebant filii, qui Patrem amabant tenerime, pro Salute orabant Subditi, qui reverebantur Dominum humiliiter; sospitem optabant Principes, qui Virum in Friderico magnum admirabantur. Certè Joannes Episcopus Curiensis, cui Friderici virtus perspectissima fuit, ut primum de adversa Præfulis nostri valetudine nuntium accepit, altum ingemuit, atque datis Roggenburgum litteris sic vota sua explicavit: *Optamus, ut ad multos annos non pro Conventus tantum, sed pro Christianæ reipublicæ bono perennet sanus.* Et hac quidem vice exaudivit vota Deus, ut de lectulo, super quem ascenderat infirmus, firmus & sanus descenderit. Verum altero mox anno denuò in lectum decidit, de quo non amplius poterat surgere; nam infirmitas fuit ad mortem, quæ, quia furda est, non audivit lamenta filiorum; quia cæca, non respexit calamitates subditorum; quia crudelis, nullis exorata precibus anno 1656. die 30. Augusti circa horam decimam antemeridianam rapuit & nobis eripuit Fridericum, Abbatem, pientissimum, eruditissimum, fortissimum, Principibus charissimum, Apostolica laude celeberrimum, à nobis nunquam satiis laudandum. Hinc est, quod omnis

in laudem ejus penna tunc temporis tacuerit Roggenburgi, quia quælibet desperavit, pro meritis laudare se Fridericum posse. Nos tamen volentes, ut Præfulis maximi memoria inter nos perpetuans apud exterios non emoriatur, hoc defuncto epicinium ponimus.

Ne mireris Viator,  
Quod nec marmor, nec Epitaphium videas  
FRIDERICO Præfuli positum;  
Quæ enim gessit,  
Fuérunt plurima, maxima, & orbi nota,  
Quæ vel Lapis non caperet,  
Vel prioris Sæculi mortales  
Abundè nota frustrâ in saxo legerent.  
Præsentis Sæculi homo  
Si noſſe desideras,  
Cujus exuvias hæc tellus contineat;  
Fuit ille  
Religione clarissimus, scientiis notissimus,  
Et celeberrimum Consulentis Sueviæ oraculum.  
In agendis  
Trjade perfectissima,  
Dexteritate, fortitudine, felicitate,  
Conspicuus.  
Adelbergam recuperavit,  
Churwaldiam servavit,  
Roggenburgum, & totum Ordinem mirè ornavit.  
Hercules in labore,  
Atlas sub omni onere  
Prioris sæculi fluctuum mole superior,  
Et soli morti,  
Quia homo mortalis,  
Succumbens.  
Fuit  
*Fridericus Rommelius.*

Jam abi,  
Nam dixi satis,  
Dum in uno nomine dixi omnia.

Porrò Scutum Abbatiale suprà digonum, tum perpendiculariter ex utroque latere descendens, infrà in rotundum coit. Area prima aurea Cætorem cœruleum exhibit versus sinistram sedentem: in altera cyanea leo flavus sedet capite in terram verso: tertiam itidem cœruleam leo similis occupat versus sinistram sedens: ultima quadripartita est cujus prima & quarta areola nigra, secunda verò & tertia argentea est. Regioni centricæ Scutulum incumbit ejusdem cum majori figuræ, quod minio infectum tres aristas refert flavescentes. Denique suprà Scutum conspicitur B. V. Maria, manu dexterâ Scepturn, in sinistro brachio Divinum portans Infantulum, inter mitram & pedum media.

#### §. IV.

#### *Annotationes.*

P Generalis, quem celissimus Princeps Curiensis præsagis vigilantissimum, fuit Illustrissimus DD. Augustinus Le Sellier, ex Priore Carthovorensi Abbas Præmonstrati electus anno 1647. vir Disciplinae Regularis tenacissimus, morum gravitate spectabilis, pietate & rerum gerendarum felici experientiâ conspicuus, & ad restaurationem Ordinis potissimum in Gallia obscurati, à Deo misericorditer submissus; qui omnem à limine possessionis operam dedit, ut dispersos Sanctuarii lapides colligeret, & deformatam Ordinis faciem, suffragante Anarchia, pristino restitueret decori, quem in finem quinque convocavit Capitulum Generale. Tandem ex humilitatis sensu cessit Generali, & anno 1670. die 15. Januarii Branæ defunctus, ingens sui desiderium reliquit Ordini universo.

Wil-

Wilthina propè Oenipontum, Tyrolis Metropolim, ab Haymone quodam stupendae altitudinis gigante anno 878. fundata, primò Canonicis Regularibus cessit. His in irregularēs degenerantibus anno 1137. sub Reginberto, Episcopo Brixinensi, succēserunt Præmonstratenſes, ex Rothenſi Canonia vocati. Circariæ Magdeburgensi olim adscripti, hodie adnumerantur Bavariae. Abbas, qui Fridericum exulantem recepit, erat Reverendissimus DD. Andreas, Ordine XXXVIII, SS. Theologizæ Doctor, qui Jurium Ecclesiæ defensor rigidus, sumptuosas lites, non sine vicinorum odio, intentasse traditur. Suorum quoque Fratrum despicientiam incurrit, eō quod ex suffosione Corporis Haymonis turris in fundamento debilitata corruerit, Templūmque sua mole & caſu diſiecerit. Abbatiam ſponte resignavit anno 1650. Cæterum Wilthina meritō virorum maximorum dicitur Seminarium, quod educavit Oratores extemporaneos, Philosophos argutissimos, Theologos profundissimos, laurea & typō celeberrimos.

Manuscriptos Rommelii Codices quod attinet, alteri eorum præfixit titulum: *A delberga illufre apud Würtembergios Candidi Ordinis Cenobium aſpiciuſ Friderici ex Suevorum Duce Imp. I. extructa; ab hæreſi Lutherana violenter occupata; Ferdinandi II. Cæſ. Aug. pii, feliſis, Vīctoris beneficio Præmonſtratenſibus denud reſtituta.* Opus omnibus numeris abſolutum, in quo Lector candidissimam legit veritatem, & stylo, qui facundissimum Rhetorem prodit, ſuprā modum recreatur. Alterius fronti sequens inscripsit nomen: *S. P. N. Aurelii Augustini Epifcopi Hippoñensis eximij uixi Speculi Libellus in vicem Regulae Canonice S. Norberto Præmonſtrati Ordinis Conditori exhibitus, ab S. R. Ecclesia approbatus, à plurimis Religiosis Ordinibus poſtea frequentatus.* Commentarius luce publica dignissimus, niſi vel negotiorum mole præpeditus, vel morte præventus Opus reliquiflet imperfectum.

Cæterū quod Fridericus in epiftola ad Illuſtrissimum Generalem ſubditos ſuos commemoret fame enectos, ex eo facilē credideris, quod illo tempore ſcapha filiginis 40. florenis vendita fit.

## C A P U T XVI.

### Bonaventura Schalck, Abbas XVI.

#### §. I.

#### *Breve, ſed utiliſſimum Bonaventuræ regimen.*

Fuit, qui fuit; non fuit, qui fuit. Oedipe dic, quid id est! ut facilior tibi accidat ſolutio, quæ de Bonaventura dicemus, attentus lege. Vix magnam Fridericus eſlavit animam, altero mox die (trigesima prima Auguſti erat) Capitulares convenerunt in unum, & unanimis viā Inspirationis Divinæ in Abbatem elegerunt Bonaventuram, tum Subpriorē ſimul & exteriorum Proviſorem. Nec mirari quispiam debet hanc electionis methodum; ut enim loquitur Instrumentum: *singularis in Bonaventura eminebat discretio, providentia, & in spiritualibus circumſpectio, ac Regularium traditionum notitia.* Veldkirchii natus, adhuc minorenſis Roggenburgum delatus, & liberalibus disciplinis apprimè excultus, Canoniconum numero adnumerari meruit. Multā Juris prudentiā clarus, Friderici in laboribus & maxiſi momenti negotiis comes, atque ad Comitia Ratiſbonenſia Socius, digniſſimus eſt effectus, qui magnus magno ſuccederet, tenax adeo Jurium defensor, ut citius clavum Herculi extorqueres, quam vel minimum à Bonaventura, quod leviter Jura ſauciaret. Unde cū primo post electionem die per litteras Supremus Marchionatū Burgoviensis Præfectus peteret, ut statuta eligen- do Abbati dies inſinuaretur, quatenus titulo Advocatæ præſens interelle poffet, aut faltem, ſi per temporum injurias minus hoc liceret, priori faltem obſervantiæ nihil derogaretur, pauciſſimiſ responderi voluit Bonaventura: *de Abbatे jam proviſum eſſe Roggenburgo, & curam Burgovii prorsus fuīſe ſuper xacaneam.* Irritatus hoc reſponſo, & maximè, quod ne quidem Elekti nomen fuiffet expressum Præfectus, ſecundas expedit litteras, quibus Electionis ſeriem edoceri poſtulat, a dito, primam obſervantiam de Protectoris præſentia eō potiſſimum collimare, ut Conservatoris memoria nunquam ſenesceret. Verū emphaticè Bonaventura reponuit, ejusmodi prætentio neque ſub titulo Advocatæ, neque Obſervantiæ cujusdam habere locum, ubi Jura minimè dubia pro liberrima elektorū voce clamarent.

Post hæc Oeconomicam Bonaventuræ diligentiam ad ſudorem uſque defatigavit elocata à Joanne Ermann ad Cameram Gynzburgensem pecunia, cui nescio quæ de- Tom. VI. Collect. Monast. G g mum

mum fata in causa fuerint, ut rarissimè, nec nisi obstetricante ultimo Præfatum conatus, annum censum debitum solveret: ea tunc fluebant tempora, ut vel Cræsus teruncio posuisset pretium. Urgebant Officiales Burgovienses solutionem 15. florenorum pro Conservatorio, altum filebant centum Roggenburgo annuatim solvendos, cuiuscem excolantes, Camelum verò glutientes. Ut suo satisficeret juri, calamos acut Bonaventura, datis ad Serenissimum Archiducem litteris, ut saltē triennales impetraret census, quo casu promptum fese offert, reliquos omnes ab anno 1132. usque ad annum 1654. restantes gratis remittere. Et tamen plus impetrare non valuit, quam ducentos florenos, causâ dehinc Abbatii Wilthinensi & Joanni de Greützing agnato suo & Serenissimi Confiliario operose commendata. Pro misera peculii fortem!

Novum offendit lapidem Bonaventuræ supposuit Jacobus à S. Vincentio, supremus rei venatoria Præfetus. Volebat Abbas Jure venandi, quod Prædecessoribus suis gratiōe concessum, nec unquam revocatum, sed solis temporum injuriis & iterato bellorum turbine quieverat, denuo in magnum Cœnobii sui emolumētum uti, atque in hunc finem supplicem libellum ad Serenissimum Archiducem direxit. Quoniam verò à tacitis cuniculis & siniſtris machinationibus Jacobi à S. Vincentio sibi haud vanè metuebat, Abbatem Wilthinensem fraternè interpellavit, velit constituere Argum, qui gressus Jacobi observaret. Non supervacanea hæc cura fuit; cùm enim supremus hic rei venatoria Præfetus primò Bonaventuram requireret, ut scripto designaret loca pro jure venandi, postea verò Roggenburgi oretensis cum Abbatे tractaret, eas posuit conditiones, quas sola dictavit iniquitas. 1. limites venationis summoperè coarctavit. 2. ardearum venationi cautum voluit, præcipiendo, ne fagi cædantur, aut vendantur. 3. Canes venaticos in Monasterio nutriti, sibi autem cum suis quocunque venationis tempore pro majori commoditate habitationem Roggenburgi esse voluit. Hæc eadem puncta jam Friderico Abbatii proposita fuerant, unde promptius etiam respondit Bonaventura, afferens, conditioni primæ possessionem à tempore immemoriali obstat: alteram ex eo ruere, quod Roggenburgum doleat vel super unius fagi venditione: tertiam repugnare Instrumento Conservatoris, in quo disertè à canum & hominum onere cautum esset Monasterio; nihilominus paratum se offerebat ad hospitalitatis jura nunquam negligenda. Indignatus huic triplici exceptioni Præfetus, & resolutionem à Serenissimo expectandam reponens, discessit, ejus autem servi passim & ubique divulgabant, omnem omnino venationem Roggenburgo interdictam. An causam Oeniponti evicerit, ignoramus; illud solummodo constat, quod, cùm anno 1659. denuo pro jure hoc Ferdinando Carolo Archiduci supplex fuisset, per venatorem illi insinuatum fuit, ex Concessione Serenissimi venationem in districtu & locis designatis continuari posse.

Quod telonea concernit, vigilissimum hac in parte Canonia nostra habuit Bonaventuram. Siquidem anno 1660, primo Cameram aulicam Oenipontanam, dein Officiales Gynzburgenses convenit, ne immunitas à teloneo inter novas exactiones emoriatur, quam velut certam supposuit Abbas quod ad illas res, quæ vel ex Würtembergia, vel ex civitate Ulmensi pro communi mensa Abbatis & Conventū Roggenburgum advehebantur. Quo auditio petebant Gynzburgenses, exhiberi ejusmodi Privilegium & immunitatem à teloneo debere vel in originali, vel saltē in copia vidimata. Cum verò leviente Marte suecico pleraque Monasterii nostri documenta partim dilacerata, partim alio modo distracta fuissent, petita Privilegii copia inveniri non potuit; nihilominus jus suum aliis juris adminiculis, haud facilè subruendis, fortiter defendit Abbas, argumento præcipuo à possessione temporis immemorialis petito, quod quasi superabundanter stabilitiv ex Registro telonearii in Ay, in quo nullibi occurrit, à Roggenburgensis pro vino vel in Vineis suis Würtembergensis collecto, vel Ulmae ad communem mensam coëmto vestigal aliquod solutum esse usque ad tempora belli Suecici. Vivo insuper testium asserto dicta sua confirmavit, nunquam vestigalia fuisse exacta.

Cause Corpus Insassiatum inter & Officiales Burgovienses controversæ tantus osor extitit Bonaventura, ut, cùm aliquando litteras convocatorias accepisset ad novam consultationem super abrogandis quibusdam gravaminibus, in superficie litterarum hæc propria manu adscriperit verba: *Nova gravamina ficta & excitatata, ut nova semper detur pecunia, & fiat processus in infinitum: nempe congregare, non frustrane suā erogare pecunias, vel non nisi piis applicare causis quererebat œconomus Abbas, quod præceteris sensit Churwaldia, quam incomparabilis suo labore servatam, & temporum injuriis extremè depauperatam tum consiliis tum auxiliis tutatus est strenue, efflagitatis etiam, cùm propria non sufficerent, ab Ordinis Provincia subsidiis charitativis. Rebus porrò domi suæ restaurandis, recuperandis, conservandis augendisque unicè intentus erat; ædificia*

dificia bellorum tempestatibus concussa instauravit, & quidquid Fridericus reliquerat imperfectum, perfecit mirabili felicitate, pari providentia, & tanta dexteritate, ut constans fuerit opinio & unus omnium sermo: si vita fuisset Bonaventuræ, Roggenburgum ex laterito crevisset in aureum. Sed alia disposuit Cælum. Cum enim anno 1661. Ulmæ negotiorum causâ ageret, fatali morbo correptus, non Roggenburgum, sed mortem se visurum animadvertis, quam 18. Novembris affilientibus sibi duobus Canonis Regularibus S. Augustini ad Insulas Wengenes Professis inter sextam & septimam vespertinam obiit in ædibus Roggenburgensibus, Vir, sive Religionem, sive Oeconomie peritiam consideres, omni exceptione major, & qui revera fuit, qui fuit. Hoc est, ut tandem ænigmatis in fronte positi solutionem demus, fuit Bonaventura, per quem tanta nobis bona venerunt, ut etiam majora à Bonaventura bona ventura tuto speraverimus. Non fuit, qui fuit, Schalck, utpote nec sibi nec aliis nequam, sed Præf禄 optimus, Suorum amator tenerimus, & amor perpetuus. Defuncti Corpus Ulmæ Roggenburgum translatum, propè Aram S. Joanni Baptiste sacram inhumatum est. Ut verò memoriæ illius non emoriturus haberetur honos, Franciscus Successor tabulam, in qua Bonaventura ad vivum effigiatus, & coram B. Virgine inter nubes conspicua in genua pro voluntate cernitur, pingi curavit, in cuius clypeo hæc paucula leguntur: *Reverendissimus Dominus Bonaventura S. R. I. & Ecclesiae Roggenburgensis Abbas natus 22. Januarii 1616. electus die 31. Augusti 1656. denatus die 18. Novembris 1661. Franciscus Abbas Successor fieri curavit 1663.*

Scutum Abbatiale mitra pedoque coronatum, suprà digonum infrà figuræ est rotundæ, linea transversè sectum in duas regiones dividitur, superior linea perpendiculari à summo usque ad regionem centricam divisa duabus areis constat, quarum prima aurea Castorem subnigrum refert versus sinistram sedentem; altera quadrifida est, cuius prima & quarta areola nigra, secunda verò & tertia argentea est. Regionem centricam scutulum occupat ejusdem cum Scuto figuræ, in ejus areola flava Ecclesia conspicitur cum adjeçtis hinc & inde turribus. Regio inferior geminâ linea, unâ dextrorum, altera sinistrorum ab infima parte scutuli ad limites parvae in spiram diductâ, tres areas ostendit; prima quadripartita est, cuius prima & quarta areola nigra, secunda & tertia est argentea. Area media argentea pīcem nigrum exhibet incurvatum, in ultima tandem rubea leo flavus stat versus dextram erectus.

## §. II.

### *Annotationes.*

Cum Reverendissimus Abbas Bonaventura & Prædecessores ejus tantoperè desudavarent vel pro retinendo vel pro recuperando jure venandi, juvat hic Deductionem Synopticam apponere, ex qua luculenter erui potest, num Canoniæ nostræ jus venandi competit.

Itaque præliminariter velut certum & indubitatum suppono, quod aliquando jus venationis penes Monasterium fuerit; alias frustraneum fuisset Privilegium concessum von wildpann und gejaidt, consequenter etiam sine fructu & illusoriè duntaxat toties confirmatum. Quando autem hoc jus aut violentiâ aut negligentiâ perierit, divinare meum non est. Hoe certum, quod adhuc anno 1551. Canonia nostra Sylvarum delitiis ex jure quodam gavisa fuerit, prout ex Actis Venatoriis patet. Nam.

Anno 1551. die 9. Junii D. de Hirnheim supremus rei venatoriæ Præfectus Nobili de Tirrheim in Biberachzell, & D. Abbat Georgio II. de novo concedit, ut jam præbabito venandi jure utantur.

Anno 1571. die 16. Februarii Serenissimus Archidux Austriae vult, ut cuiilibet Abbat pro tempore existenti annuatim extradatur certa ferinæ carnis portio; insimul concedit jus gratiosum, in certo districtu venandi, sub hac tamen limitatione, ut nullus Abbatum hoc jure utatur titulo justitiæ, super quo Georgius III Reversales scripsit.

Anno 1575. die 1. Januarii Joannes Abbas per litteras intelligit, designatam carnis ferinæ portionem, nominatim quodad 2. cervos, sibi indulgeri.

Anno 1577. die 17. Aprilis Abbatem inter & rei venatoriæ Præfectum initur transactio Weissenhornii, & 21. Maii fit designatio districtus ad exercendam venationem, pro libitu tamen revocabilem.

Anno 1581. die 7. Novembris novi limites juri gratiose venandi propter excessus commissos ponuntur à Serenissimo Ferdinando Archiduce, & in vicem 2. cervi & 4. apri annuatim extradi jubentur.

Anno 1582. D. Vitus Abbas denuò rogat & impetrat jus venandi gratiose sub certa limitatione.

Anno 1626. Michaël Abbas utitur jure venandi apud in retibus & laqueis. Anno 1629. idem Abbas Leopoldo Archiduci memoriale offert vel ut jus venandi, vel ut deputatum annuatim concedatur.

Anno 1640. die 2 Octobris Friderico Abbatii transmittitur copia, quod in deputatam carnis ferinae quantitatem Archiducissima Claudia consenserit, adjectas tamen conditiones onerosas repudiat Abbas.

Anno 1659. limites venationis coarctare intendit Jacobus à S. Vincentio Comes de Rechberg in Illeraichheim, & quædam loca subtrahere, econtra prætendit jus installandi canes, & pro se ac suis liberi diversorii in Monasterio. Verum Bonaventura Abbas per expressum Memoriale quoddam mittit Abbatii Wilthinensi, Archiduci offerendum, in quo contra injustas Rechbergii molitiones conqueritur, & jus venandi quasi articulatum probare intendit, præfertim ex eo, quod nunquam fuerit revocatum, & sub solis bellorum tumultibus aliquamdiu quieverit.

Anno 1669. eò quod fama volarit, saltus aliquos ab Imperatore elocandos, ut sibi quoque pars aliqua obveniat, sollicitat, & anno 1670. Decretum Cæsareum impetrat, in quo conceditur *ein beständigen*, ad nutum tamen revocabile. Duravit autem hoc jus usque ad annum 1693.

Quod attinet pecunias ad censum elocatas Gynzburgi, illas à Serenissimo Ferdinandino Archiduce rogatus ad quæsturam Gynzburgensem elocavit Joannes Abbas VIII sub obligatione annuatim per modum census solvendi 5. pro 100. summa autem capitalis erat 20000. florenorum. Pro hypotheca assignatum fuit officium quæstoris seu rationum Præfecti cum omnibus appertinentiis. Pecunia hæc verè Cadmæum erat femen, ex quo non nisi lites & discordiae sunt prognatae.

Abbas Wilthinensis, qui tam promptas & auxiliatrices Bonaventuræ manus dedit, erat Dominicus, vir omni laude major. Ecclesiam à Fundamentis extrectam consecrari fecit à Sigismundo Alphonso de Thun Episcopo Brixinensi. Sacrae inaugurationi Leopoldus I Imperator ex pietatis sensu, & motivo benevolentiae, qua prosequebatur Abbatem, promptus adfuit, & suâ præsentia recreavit convivas. Domo Dei, & Fratrum domiciliis eleganter structis, litibus undequaque pacatis, ærario bene nummato, plenus dierum & bonorum operum Dominicus obiit die 10. Maii 1687.

Ludovicus Abbas Rothensis & Vicarius Generalis, qui vice & nomine Patris. Abbatis electioni Bonaventuræ præsedit, erat ex nobili profapia *Lacherorum de Haselberg* oriundus, vir pietate conspicuus, virtute clarus, charitate insignis, moribus integer œconomiae industria, rerum gestarum gloria demirandus, quem velut alterum Fundatorem celebrat Rothum. Obiit anno Christi 1667. ætatis sue 67. Professionis Religiose 52. Præsulatus 37. Vicariatus Circariae Sueviæ 28.

## C A P U T XVII.

### Franciscus Doser, Abbas XVII.

#### §. I.

#### *Franciscus divinitus servatur Prælaturæ.*

**Q**ui fuit staturâ parvus, nomine minor, humilitate minimus, hodie dum inter Abbes audit doctrinâ magnus, utilitate major, pietate maximus. Vivere cœpit Ingstadii, pagô ditionis nostræ, filius Andreæ Doser, cuius à Sueco milite ad mortem usque torti suprà meminimus: benè vivere didicit inter Musas nostras, dum declinare malorum vias, conjungere virtutes, & reciproco sui & innocentiae firmiter inhærere doctus est. Rhetor eloquens nunquam melius dixit, quam dum mundo valedixit, factus in Canonia nostra Theologus, antequam esset philosophus. Paulò post perfectum sese ostendit Astrologum, utpote cuius conversatio tota fuit in cælis. Sacerdos ad aram Angelus, in tribunali agnus, in Cathedra stetit leo, non quærens, quem devoret, sed ne ovis ulla dispergetur à lupo, cùm interim Zelus Dei Pastorem come-

comederet. Oleum flammæ addidit Mars Suecicus. Cum enim pastoribus hinc inde dispersis, grex summo versaretur in periculo; non recessit Franciscus, qui vix non solus ad curam pastoralem relatus, quod meius ageret pastorem, induit rusticum. Sic vestitus de vico in vicum, de loco in locum pertransit, ut faceret Sacra, & diceret Sancta. Imperterritus adivit pericula, perrupit obstacula, contemptis hostium infidias, paratissimus, vitam dare & sanguinem, ut candidus & rubicundus eò magis placeret Sponsso sanguinum. Sed quid imperterritum dicimus Franciscum, quo meticulosior nemo fuit? nullam solus unquam trivit viam, comitem semper habens fortissimum, illum videlicet, qui tribus portat orbem digitis. Genuinus enim Norberti, de quo similia leguntur, filius saepius in die latrevticam litavit hostiam, ut semper haberet in corde, cuius mortificationem jugiter portabat in suo corpore, granum verè electum, quia mortificatum, quin paulò post ferè mortuum, non quidem cadens in terram, sed pendens terram inter & cælum medius, quasi & ipse mediator à Deo constitutus foret. Accidit namque, ut, cum Sacris jam bis operatus esset, tertium facturus, properaret in Messhoven, denuò Suevum, quod falleret Suecum, piè mentitus rusticum. Interea, qui cuncta exploraverant, supervenient Sueci, ex Mysta facturi hostiam. At Franciscus abscondit se, & exivit de templo, viam ingressus, quæ dicit Weissenhornum, ut ad suos rediret Confratres, qui securitatis ergò ibidem latebant in domo Roggenburgensi. Tuta credebat omnia, cum subito propè stagnum (*der Stützenweyer appellatur*) à bis trino Sueco milite ex insidiis petitur, in editum collem raptatur, atque ex obvia queru & veterno suspenditur, ut semel saltem arbor mala faceret frumentum bonum. Nunquam enim verò Franciscus sensit, suam ex tenui filo pendere vitam, quam ex denso fune suspensus ab arbore. Sed nec alibi melius didicit, quod promptissima suis succurrat clientibus Mater Altissimi, quam dum pendebat in altis. Etenim visibiliter Francisco adfuit Dei genitrix & Virgo Maria, Virgineisque manibus, ne laqueo suffocaretur, tamdiu impedivit, donec militum unus aut pénitentiā aut misericordiā movente, vel quod verius, Deo impellente regressus, stricto acinace funem abscedit. Semianimis in terram decidit Franciscus, dein verò & animum & vires colligens, Weissenhornum perrexit, rem omnem, quæ acciderat ei in via, dissimulans. Ut tamen, si perpetuo tegeret silentio beneficium longè maximum, in Beneficricem suam non audiret injurius, morti jamjam proximus totam rei feriem P. Joanni Sapper, qui Francisco à Confessionibus erat, enarravit, districte prohibens, ne vel apicem revelaret, donec vita excessisset; tum verò super tecta prædicaret, ut, quod ajebat, Mariam verè & sincerè diligentibus innotescat, nullum unquam derelinqui à Maria, qui se verum ac genuinum Mariophilum probaret, qualis à primis unguiculis ad mortem usque fuit Franciscus.

Pest hec à Friderico Abbe ad S. Lucium missus, Missionarium egit verè Apostolicum. Inde parochiæ Beneduranæ præpositus sic curavit fana, ut non negligeret profana. Cum autem anno 1661. mors præmatura rapuit Bonaventuram, ad electionem vocatus, propter eminentes animi dotes, quas frustra sub modo humilitatis oculere tentabat, clarificandus, qui obscura quærebatur, quinta Decembri in Infulatæ dignitatis culmine, applaudente populo, congratulante Capitulo festivè constitutus est. At ecce! parùm abfuit, ut Abbe mortuo Abbatiam vacantem non invenerit. Cum enim mors Bonaventuræ innouit Burgovio, adest illico Commissarius, qui usque ad electionem novi Præsulis ex titulo Advocatiæ quasi Roggenburgo præesse, & actui folienni interesse denuò prætendebat, & hoc quidem, quod mireris, connivente, nec contradicente, in hospitem non vocatum perhumaniter excipiente Patre-Abbate. Sed fortior Patre filia Roggenburgum manibus pedibusque restitit, & jura sua ac privilegia iteratè efficaciter defendit, & Commissarii principale fundamentum, quo plures Burgovienses electionibus adstituisse dictabat feliciter subruit, afferendo, id titulo honoris non Advocatiæ permisum, adductis præterea actibus fat multis in contrarium facientibus.

## §. II.

*In Prælatura mira virtute resplendet.*

**S**ic est: *bonores mutant mores.* Haec tenus dicebatur Franciscus minor, modò, cum inter suos esset maximus, esse voluit Franciscus minimus; virtus namque characteristicæ Francisci fuit humilitas, quam ad mortem usque dilexit & coluit. Ædes Abbatiales numquam incoluit, vile cubiculum præligendo. Sedem quoque Abbatiale in Choro non  
Tom. VI. Collect. Monast.

H h

occu-

occupavit , & sic , vivente etiam Abbate , Sedes semper vacavit . Vas electum vasculo ad mensam utebatur testaceo ; habitu in duebatur communi , imò vix non obfleto ; unde contigit , ut ab adventantibus tam facile non distingueretur . Certè cùm aliquando non infimæ dignitatis persona advenerit , ex Francisco tum propè januam stante quæsivit : ubinam Abbas esset ? cui Franciscus : expectaret paululum brevi comparitum . Quo dicto recessit , pauloque decentius vestitus hospitem exceptit . In laudem suam pisce taciturnior nunquam aperuit os , etiam reticitorus suam de arbore liberationem , nisi injuriam fieri metuisset Virgini - Matri , quam tanto semper amore deperiit , ut more , ore , & re nunquam non devotissimè coleret , nec ullam præteriret occasionem promovendi honoris Mariani .

Patienti Domino addictissimus , passionem dominicam jugiter recolebat , & ea , quæ deerant , in corpore suo piè adimplebat . Imaginem pendentis è ligno Dei , stanibus juxta crucem JESU Maria Matre ejus & Joanne Discipulorum dilectissimo , erexit in via publica Ingstadium ducente , texitque Capellula quadam ex lateribus construta . Ad hanc quotidiè seupluvio Jove seu cælo grandinante excurrit , & ad foramina Petræ recurrat , ut butyrum , mel & oleum sageret de Petrâ ferro crudelissimo excavata . Hinc raro sobrius , semper ebrios videbatur , licet modicissimo duntaxat vino uteretur . Nempe bibebat de genimine Vitis illius , quam genimina viperarum reprobabant .

Infinitus forem , si virtutes Francisci vel obiter perstringere vellem , vidimus enim humilem in prosperis , patientem in adversis , compatientem adversa patientibus , fortem in agendis , prudentem in foro , devotissimum in Choro , candidum innocentia , rubicundum amore , pauperum Patrem , Fratrum fratrem , Filiorum Matrem . Verbo complector omnia : vidimus in Francisco Abbatem Sanctum .

### §. III.

#### *De Spirituali & Temporali œconomia Francisci .*

Quia primas ubique dedit Deo , dignum & justum , ut primò figamus oculum in spiritualem Francisci œconomiam . Qui Deum dilexit tam tenerè , non potuit non teneri summo Domus Dei amore . Et verò totus in eo fuit , ut promoveret decorem . Proin augendæ suppellecili sacræ manus apposuit , procurando calices tam affabré elaboratos , ut nec artis peritiam nec operis majorem pulchritudinem desiderare possit ; voluit nempe , ut Sacerdotes , qui ex auro biberent Christi Sanguinem aurei toti fitire discerent Sanctitatem , Franciso super aurum & topazion estimatam . Campanas dein , quæ devotionem sonarent , & frequentiorem populo pietatem vel linguâ ferreâ prædicarent , cæteris quatuor adjunxit duas , secundam nempe & tertiam , quarum priori hæc infusa leguntur : *Sub tuum præsidium confugimus Sancta Dei Genitrix Virgo Maria 1665.* Leonard und Johann Baptist Ernst von Memmingen , goffen mich mit Otto Sartorio anno 1665 . posteriori hæc inscripta sunt verba : *JESUS refugium nostrum & Virtus , Maria , Joseph , Anno 1662.* Anno autem orbis redempti 1667 . Ecclesiam parochiale in Nattenhausen à fundamentis unà cum adjecta turri ædificavit , positis in ea tribus altaribus , eodemque adhuc anno die secunda Augusti solenniter inaugurari fecit à Reverendissimo DD. Casparo Zeiler , Episcopo Adramyteno , & Suffraganeo Augustano .

Temporalia quod attinet , œconomum egit peritissimum , non conservatis modò , sed coëmptis quoque bonis conspicuus , inter quæ principem tenet locum pagus Obenhusanus percelebris , quem justo emptionis titulo proprium fecit Canonice Roggenburgensis . Porrò grangiam in Hochenbuch , bellorum tumultibus vix non everlam reædificavit , & tabernam publicam extræ portas Monasterii versus orientem sitam construxit .

Clamores Officialium Marchionatus Burgoviensis infestos audivit Franciscus : rede , quod debes . Sed Echo Roggenburgensis respondit : expunge debitum . Da mihi centum , & habebis quindecim . Vox græca non sonuit , aures tamen Baeticas inventit , ut propterea tam pro censum solutione , quām teloneorum extinctione alias pulsare fores fuerit coactus . Sed in ejusmodi causis ancilla plerumque negat , Dominum esse domi . Sapienti pauca .

Novis quoque prætensionibus cautè obviavit Præsul in agendis minimè præcepit . P. Conradus Gerart Canonicus Roggenburgensis & Parochus in Wisenbach , identidem male habens , consulendi gratiâ Weissenhornii accessit D. Doctorem Gufer . Ubi subitâ

itâ tactus apoplexiâ , exanimis sub janua corruit. Defuncti cadaver ad Sepulturam Roggenburgensem deportatum. Quod ubi receivit Burgovium , ad raucedinem usque vociferari , violatam esse jurisdictionem territorialem , nulla mortis facta insinuatione , non petito consensu , neque extraditis reversalibus litteris. Postulatur proin Abbas suo nomine quemquam mittere , qui & litteras & pecunias afferret. Quos ego. Responsum est Burgovio : violare jurisdictionem nunquam somniavit Roggenburgum : sperat propterea , Burgovium contra consuetudinem & prioris temporis observantiam ab exactione reversalium & certae pecuniarum quotæ destitutum. Quod si causam urgere velit , dilationem petit Monasterium , ut defuper Ordinis Superiores consulere possit. Altero mox die novæ adsunt litteræ , exceptionem & multam deductionem afferentes , quantus ejusmodi litterarum cumulus in Archivio prostaret , nuperrimè auctus Reversalibus , cùm scilicet anno 1671. D. Julius Henricus de Gemmingen Canonicus & Custos Ecclesie Augustanæ , qui post mortem per territorium Burgoviense Knörringam ad Sepulturam Patrum suorum deductus esset , expensis ritè solutis. Similes proinde solveret Roggenburgum , cùm non sit melioris conditionis , & Superiores Ordinis improbare , aut Statuta nostra Principum Regalibus præjudicare non possint. Interim D. Doctor Mayer , an Reversales fint extradenda , consultus , traditionem suavit , quo inductus motivo , nobis incertum. Cæterum quia Burgovienses ad ingentem Reversalium cumulum appellant , nullas tamen invenerint Roggenburgenses , miror , quod hac prima vice auctarium petierint , quasi verò similis casus nunquam extitisset , cùm tamen vix decennium abierit , quod cadaver Reverendissimi Abbatis Bonaventuræ Ulma Roggenburgum sit transvectum , quin vel minimum mussitaverint Burgovienses. Nempe homines sumus valdè labilis memorie.

Insigne pariter œconomicæ diligentiae specimen Franciscus edidit anno 1670. Sacra Cæsarea Majestas volebat ad certum tempus & sub determinatis conditionibus jus suum venandi aliis cedere. Hoc ut primùm Francisco innotuit , & ipse pro certo districtu sollicitabat. Consultationes defuper instituebantur Gynzburgi , quo Franciscus Commissarios cum libera delegavit P. Andream Birckh p. t. Cellarium , & D. Matthæum Molitor supremum Monasterii Præfustum. Qui feliciter effecerunt , ut districtus satis amplius Roggenburgo cesserit , nampe à saltu Waldstetteni usque ad viam à vena toribus appellatam (Jägerstaig) & ab hac usque ad fluvium , Gynz dictum. Contratum eventualiter & sub certis conditionibus initum , anno 1670. ratum habuit Imperator Leopoldus , voluitque , Litteras concessionis , ad nutum tamen revocabiles , chartæ pergameneæ inscribi , à Francisco autem Abbe Reversales dari , quod & factum 24. Maii 1670. in recognitionem concessæ gratiæ annuatim solvebantur sexaginta floreni. Bienniō elapsō regimen oenipontanum Saltuum Inspectorem constituit Casparum Winckler de Christertshoven , quod onus non adeò leve ex eo , quod ejusmodi Servi , ut placeant Dominis , plerumque finistris & falsis delationibus aures onerare soleant , nolens volens toleravit Roggenburgum. Quin etiam 19. Augusti ejusdem anni videlicet 1672. mandatum emanavit , libertati venationis non multum favorable ; cùm enim in primis Concessionis litteris tempus venando determinatum esset à Festo S. Bartholomæi Apostoli usque ad Natalias Christi ferias , mandato posteriori vix bimestre decepsit , quia initium venatio sumpsit à die S. Galli ; pro ratione assignabatur error quidam in scribendo commissus ab Officialibus Comitatūs Nellenburgensis. At melius scripissent Confiliarii Oenipontani : stat pro ratione voluntas , si Reguli delirantes nossent parcere Achivis.

Ultimum denique & utilis œconomicæ & multæ in defendendis Juribus fortitudinis monumentum reliquit , quod sequitur. Vitus Bihler , Joannes Wolwendt , & Thomas Oefner Subditi Illeraicheimenses in pago Tafertshoveni ad Illustrissimum D. Comitem Joannem de Rechberg in Hochen-Rechberg & Rothenlöwen amaras detulerunt querelas , quasi verò à R. P. N. Fux Canonicu Roggenburgensi , & ibidem Parochi , plus justo decimarum exactione gravarentur , ad illas in duplo præstandas coacti. Comes nimirum credulus , injustitiam per litteras exponit Francisco Abbat , à quo responsionis loco percepit , querelas omni prorsus fundamento destitui , cùm omnes Subditi Rechbergenses in Tafertshoven annuatim & certas pecunias censuales & determinatam frumenti quotam unà cum decimis ex hortis absque contradictione haec tenus præstiterint : interim tres suprà dictos subditos pœnæ reos esse , eò quod per notabile jam tempus obligationi suæ satisfacere detrectarent. Cum autem tres illi subditi jam contumaces solvere decimas audacter renuerent , P. Henricus Sartorius , qui P. Fux in administranda parochia successerat , mittitur in Illeraichheim litem amicabiliter compositurus. Sed irrito conatu tentavit omnia. Quapropter in vim articulorum Rituali

lis Augustani rebelles ab annua Confessione & Communione Paschali suspenduntur, tota rei serie per geminatas litteras Reverendissimo D. Vicario Generali Augustano insinuata. Interim vix non biennum abiit, quin contumaces resipuerint, Comitis auxilio fredi, qui monitoria Roggenburgensia ne quidem dignabatur responso. Et quoniam suspensionis à Sacramento Confessionis & Communionis vinculo innodati exiscebant, illos in Sacello suo Domestico à quodam P. Franciscano clam fecit absolvit. Inauditum hoc facinus, quod PP. Franciscani cause ad forum externum & ordinarium deductæ fese immiscerent, maximò operè admiratus, per duos è vicinia Parochos rebellibus denuntiari jubet: scirent, se à Sacramentorum participation tamdiu suspensos, donec aut petitas præstarent decimas, aut Reverendissimo Consistorio se fisterent, immunitatem probatui. Comes hoc in suos evibrato fulmine perterrefactus, omnem polliceri satisfactionem, modò Paschali tempore jamjam imminentे liber ad SS. Sacraenta foret accessus subditis. Præterea inducias rogabat, ut, negotiis aliis compositis, huic ed melius manum ultimam admoveare posset. Nihilominus aliquod denuò tempus intercessit, usque dum iteratis conventus monitoriis furorem posuit, subditos tributa & decimas solvere jussit, postquam hæc controversia per tres omnino annos agitavit, sed non fatigavit Franciscum.

Ut verò in pace forent omnia, etiam cum Venerabili Capitulo Rurali Weissenhorensi ratione Parochiarum amicabiliter transegit, ut Religiosi nostri ad Parochias exposti personaliter Capitulis intersint, onera communia æqualiter ferant, præstanta præstent, & pro ingressu Capituli à decennio in decennium 6. florenos, nec plures, solvant.

#### §. IV.

#### *De Resignatione, & morte Francisci.*

Rebus ita compositis, ut ad mortem, per mortificationem nunquam interruptam cum Panlo quotidiè mortuus, aptius se disponeret, Mitram deponere cogitavit. Quare illos, quorum intererat, instantissimè sollicitabat, virum curis & laboribus fractum, crebra infirmitate quassatum, & seniò exhaustum ab onere haud amplius supportando liberarent. Precibus demum tunc factum satis, cùm, ut Instrumentum publicum loquitur, per sedecim annos immortalem sibi laudem comparâset. Lætus hoc nuntio Franciscus, mox 10. Junii 1677. dignitati nuntium misit, & mitram pedumque, quod ægrè admiserat, sponte & cum gaudio dimisit, Præful staturā minimus, virtute maximus, simplex & prudens, mira mansuetudine, devotione, mortificatione clarus. Resignato Deus annum vitæ dimidium donavit, Deo momenta singula dicavit, donec septimo Februarii 1678. vitam, quæ continuata virtutum series fuerat, pretiosa in conspectu Domini morte clauerit, tumulatus è sinistro latere Altaris B. V. Mariæ de Monte Carmelo. Lapis tumulo impositus Præfulis insignia exhibet. Scutum antiquam Scutorum figuram referens, quadratum est, sed superne & utroque latere circulariter emarginatum, infrà rotundè in conum definit. Transversè sectum duabus areis constat, quarum inferior alba cor rubrum exhibit, imposta eidem stella flava centrum scuti occupante, & lineam transversam intercipiente, tum dimidia ex parte superiori regioni cœruleæ immisla; ex uno stellæ radio tres aristæ albantes prominent. Scuto ex utroque latere conglutinata sunt duo minora scutula ovalis figuræ, quorum dextrum Castorem subnigrum ostendit in cœrulea regione versus sinistram in viridi cespite sedentem: sinistrum verò quadripartitum est, cujus prima & quarta areola alba, secunda & tertia est nigra. Scuto sequens subjungitur Epitaphium.

Reverendissimus DD. Franciscus

Abbas Roggenburgensis,

Natus 1607. Professus 1629. 7. Julii.

Electus 1661.

Laudabiliter regnavit 15. annis.

Piè in Domino obiit 1678.

#### §. V.

#### *Annotationes.*

Leopoldus I. Imperator gloriosissimus, ex Ferdinando III. & Maria Anna, Philippi III. Hispaniarum Regis filia, 9. Junii 1640. natus, in Regem Hungariæ Posonii anno

anno 1655, Bohemiæ 1656. Pragæ, Romanorum anno 1657. Mense Julio electus est. De gestis ejus non est, quod tenuis mea penna commemoret, cum etiam eruditissimas succumbere fecerit. Tres successivè duxit uxores, Margaritam Theresiam, Philippi IV, Hispaniarum Regis filiam: Claudiam Felicitatem, Ferdinandi Caroli Austriæ Archiducis, Linæ Oenipontanæ, gnatam: Eleonoram Magdalénam Theresiam, filiam Philippi Wilhelmi, Electoris Palatini. Viennæ 5. Maii 1705. pientissimè inter hæc verba: *Memento mei Domine: &c., Consummatum est; obiit, postquam regnis, Bohemiæ annis 49, Hungariae 50, Germaniæ 47. præfuit.*

Reverendissimus D. Vicarius Generalis & Suffraganeus Augustanus, cuius geminata in hoc capite facta est mentio, erat Casparus Zeiler, SS. Theologie Doctor, Pœnitentiarius, Ecclesiæ Collegiatæ ad S. Mauritium Canonicus & Decanus, Consilii Ecclesiastici Praes, Episcopus Adramytenus, mirus munerum aspernator, omnis fastus mundani contemptor, verus pauperum, pupillorum & viduarum pater.

Matthæus Hochenrieder, Reverendissimus Abbas Urspergensis 44, electionis Praes, à Filiis suis Fundatoris nomine dignus & honore dicitur, qui Canoniam suam à milite Sueco in cineres redactam manu forti è ruderibus excitatam restituit velut Jerusalem novam, antiquâ pulchriorem. Apoplexiâ tactus occubuit 15. Januarii 1672, postquam annis 44. Urspergæ præsedit.

Non injundum accidet Lectori, videre delineationem Monasterii nostri à Francisco Abate factam, & Capitulo Generali anno 1670. oblatam, quæ sic habet:

Illustrissimo & Reverendissimo Domino D. Michaëli Colbert Abbati Præmonstratensti, & totius Ordinis Generali, Franciscus Cœnobii Roggenburgensis humilis Abbas, simul ac universus ibidem Conventus Filii obedientissimi sub pedibus Reverendissimæ Paternitatis filiali animorum subjectione prostrati sese commendantes, Monasterii statum tum spiritualium, tum temporalium juxta legitimam petitionem declaraturi, sequentia notatu digna invenerunt. Supremo Deo pro benignitate sua auspicante Cœnobium nostrum Roggenburgense, circa annum millesimum centesimum sextum, à Comitibus Bertoldo, & fratre ejus Conrado Episcopo Curiensi de Bibereck, Demutha Comitissa de Hochenzoilleren, Bertoldi conjugé fundatum est, cuius authenticæ littoræ foundationis, licet diu multumque quæsitæ, nusquam tamen repertæ nobis apparuerunt; an aliquando extiterint, vel perversa bellorum ac tristium temporum injuriâ perierint, non constat. Situm est autem in Suevia ab ortu solis in planicie, ab occasu in editiore montis parte consistens, circa annum millesimum quingentesimum Romanò Imperio incorporatum, & intrà protectionis Marchionatus Burgoviensis, Domus Austriacæ, cui ratione protectionis, vulgo Schutzgeld, singulis annis quindecim sunt exolvendi floreni, terminos continetur.

Progradientे postmodum tempore, crescentibus annis, simul Monasterium partim donationum, partim emptionum incrementis, per sedulam Præpositorum, ac Abbatum subsequentium vigilantiam crevit, donec Lutheranismo graffante, bello Schmalkaldico, ac generali rusticorum seditione ingentem cladem sustinens, extremam ferè ruinam perpeßum sit.

Successu temporis omnia indies deteriora ingravescente nefanda & execranda proprietatis tenacitate siebant, dum Monasterium ob immoda non solum debita (numerus scilicet septuaginta mille florenorum excedentia) contrahendo, sed etiam propter culpabilem malæ domesticationis incuriam quorundam Abbatum, intrà spatiū septuaginta vel octoginta annorum aut ultrà, ad summam paupertatis perniciem pervenit, & ita quidem, ut Religiofi postmodum Fratres vix necessariam vitæ sustentationem ob quotidianum debitorum incrementum habuerint, quia prædia, villæ, decimæ, Sylvæ, Collaturæ Parochiarum, imd, quod magis dolendum, integri pagi venditioni (non absque notabili Ecclesiæ detimento) cesserunt, qui perversus ac vituperandus vivendi modus ad millesimum, sexcentesimum, & decimum usque annum perduravit.

Anno Domini millesimo sexcentesimo decimo, defuncto Jacobo Abate, Religiosissimus ac vigilansissimus Michaël Abbas Monasterium ad pristinum religiosæ vitæ statum, ac Ordinis Canonici laudabilem rigorem perducens successit, qui ad initium Regiminis superius nominatos septuaginta mille debitorum florenos reperit, sed vix relicta tertia eorum partem suā prudenti vigilantia, ac indefessâ die nocturne industria exsolvit, præter id, quod in reparatione totius destructæ Ecclesiæ, novi Conven-

Tom. VI. Collect. Monast.

I

tus,

tus, Sacristaræ, Bibliothecæ, ac ædificiorum aliorum ædificatione, & Ornamentorum Ecclesiæ emptione maxima cum laude insumpsit.

Interea temporis durante anno millesimo sexcentesimo trigesimo secundo scelestus ac depopulandus miles Suecus suo nefando exercitu armata manu in Germaniam, ac Sueviae patriam magno ac inexplicabili impetu, inaudita fœvitie ac tyrannide omnia fusque deque evertens, nec Sacris quidem parcens suis sacrilegis manibus, sed pedibus conculcans irrupit. Quis mortalium hoc in lamentabili statu, sufficienti lacrymarum fletu, nedum gemebundis cordis suspiriis ac singultibus Monasterii nostri ruinam sufficienter exprimere poterit? si innumeras calamitatum miserias, bonorum omnium destrunctiones, ac direptiones perpendere velimus. Quis duras tum corporis tum animæ afflictiones, quas Religiosi Fratres capeſſendo fugam, derelinquendo Professionis Ecclesiæ, & Monasterium, ad extremas redacti incitas perpeſſi sunt, calamo condigno describet? inde post Conventualium abitum, maxima templorum, Conventus, aliorumque ædificiorum ruina (ita testante miserrimâ ipsâ Ecclesiæ Monasterii, aliorumque ædificiorum facie, quæ magis combustorum, quam extructorum formas præferebant) subsecuta est.

Unde præſenti hoc temporis statu, si quid residui ex annuis redditibus restat, ad restruenda & reparanda Monasterii ædicia summa compellente necessitate impendi oportet. Hinc provenit, ut Abbas & Conventus parciū secundū rerum qualitates, quam aliâs posset, vivere cogatur, qui aliâs residui sumptus ad Ecclesiæ & Bibliothecæ decentia ornamenta &c. pie ac laudabiliter impendi possent.

Supersunt insuper plus quam sexdecim millia florenorum, quibus Monasterium creditoribus oppignoratum, ac obſtrictum singulis annis debitorum censum (quod valde difficile etiam accedit) destinato tempore absque ulla mora solvere tenetur, licet ſub moderno Abbatे ultrâ octo millia florenorum ob diligentem domesticationis vigilantiam ſint expiata. Cæterū benedictione Divina hoc rerum statu redditus temporales in tantum ſeſe extendunt, ut hodie viginti quinque Religiosi fratres commodè, ac benignè ſuſtentari queant, quos subsequens demonstrabit Syllabus.

- F. Franciscus humilis Abbas, numero primus, meritis ultimus, ætatis suæ 63.
- F. Andreas Bürck Prior & Novitiorum Magister, ætatis 32.
- F. Josephus Buechl Subprior, & Ecclesiæ filialis in Ingstetten Vicarius ætatis 34.
- F. Matthias Fux, Senior & Jubilatus, ætatis 84.
- F. Norbertus Scheittenberger, Ecclesiæ filialis in Breitenthal Vicarius, ætatis 65.
- F. Dominicus Rittler, ætatis 64.
- F. Joachimus Hochenegger, ætatis 56.
- F. Godefridus Bertele, Ecclesiæ Churwaldensis Administrator, ætatis 44.
- F. Gabriel Faber, Parochiæ in Nattenhausen Vicarius, ætatis 34.
- F. Severinus Ott, Parochiæ in Tafertshofen Vicarius, ætatis 36.
- F. Felicianus Flachinger, Missionarius ad S. Lucium, ætatis 31.
- F. Augustinus Boding, Ecclesiæ filialis in Schiessen Vicarius, ætatis 32.
- F. Conradus Gerer, in Ober- & Unterwisenbach Vicarius, ætatis 31.
- F. Milo Gering, ætatis 24.
- F. Clemens Schnell, Parochiæ in Christertshoven Vicarius, ætatis 32.

Isti omnes ferè Philosophiæ, & ad biennium Theologiæ Scholasticæ operam derunt.

- F. Joannes Sapper, Diaconus & Cellarius, ætatis 23.
- F. Bernardus Buecher, Diaconus & Sacrifa, ætatis 25.
- F. Antonius Bibar, Diaconus, ætatis 25.
- F. Raymundus Molitor, Subdiaconus, SS. Theologiæ & SS. Canonum Studiosus, ætatis 25.
- F. Basilius Wagner, ætatis 20.
- F. Sebastianus Rott, ætatis 21.
- F. Benedictus Schultheis, ætatis 22.
- F. Adalbertus Wanner, ætatis 21.
- F. Hugo Lindtner, ætatis 18.
- F. Wolfgangus Blau, ætatis 40.

Caput XVIII.

## CAPUT XVIII.

## Adalbertus Raufcher, Abbas XVIII.

## §. I.

*De rebus præclarè gestis, Resignatione, & morte Adalberti.*

**H**omerum acutissimum, Tullium in rostris eloquentissimum, Philosophum Divino Platone majorem, Theologum instar aquilæ sublimè volantem in uno damus Adalberto, quem Candidissimo Ordini nostro genuit Canonia, ab Omnibus Sanctis dicta, Superiorum gratioſa voluntas Asceterio Roggenburgensi dedit Priorem, meritorum excellentia creavit Abbatem. Cùm enim demississimus Franciscus ultrò dimisisset mitram & pedum, Capitulum Roggenburgense unanimi voce electum è millibus, quem eligere non potuit, postulavit Adalbertum. Sed multis expoſtulare postulatus, ut caput subduceret mitra, & manum pedo, causatus inter cætera: afflensum fese præbere neutiquam posse, cùm voto professionis obligatus existeret Reverendissimo DD. Anastasio, Canonice Sanctorensis Abbat. Verum ne sic quidem effugio locus fuit; mox enim cùm literis alegatur, qui Conventus Roggenburgensis nomine supplicavit Anastasio, ut, quem merita elegerant, vota postulaverant, in Abbatem concederet Adalbertum. Adeſt die quarto tabellarius, manumissum nuntiat Adalbertum, qui denique, quia aliter haud amplius potuit, manus dedit, ideoque quartâ decimâ Junii à Reverendissimo Electionis Præſide, Maximiliano Abate Urspergensi, pro more & privilegio Ordinis confirmatus, cæterisque de jure servandis servatis publicè proclamatus est.

Manum diximus dedisse Adalbertum, sed erravimus; sibi enim servavit utramque, ut operaretur paradisum, in quo posuit illum Deus. Mala omnia in malo unico degluttivit Adam, malè audiens mulieri: ut bona quævis Roggenburgo venirent, voluit Adalbertus, frequentius audiri nomen illius, quæ benedicta est inter mulieres. Isinc altero statim post electionem mense Archiconfraternitatem SS. Scapularis 26. Julii ab Admodum Reverendo P. Michaele PP. Carmelitarumiscalceatorum Priore Augustæ folenniter introduci curavit cum privilegiis, indulgentiis & omnibus gratis à Sede Pontificia huic Marianæ Congregationi concessis, & ne cauda serpentina quemquam ex Confratribus laederet, statuam argentō elaboratam Virginis, quæ Caput serpentis contrivit, prostare in ara fecit. Chirothecam dein Eucharisticam multo argenti & auri pondere gravem, ab opere commendandam genuinus Norberti filius procuravit, ut videlicet splendorius esset thronus in terra Deo, quem Throni adorant in cælis, habentem pro scabello pedum quatuor terrarum orbem. Et hæc quidem domi, alia foris egit. Sacellum S. Wendelini in Schlebuch (quod ante ducentos circiter annos extræ vicum in via Roggenburgum ducente, ubi nunc agri ex altitudine quadam descendentes in profundo coēunt, appositâ B. V. Mariæ statuâ) cùm ruinas meditaretur, è fundamentis intrâ vicum extruxit, quod cultum S. Wendelini, ad quem illo jam tempore, cùm pecora periclitarentur, auxiliī causâ homines accurrebant, insigniter promovit; etenim die 30. Septembbris, honoribus Sancti hujus Abbatis consecrata, magnus peregrinantium & populi processionaliter adventantis concursus est, qua occasione in laudem Sancti panegyris dicitur, & solenne Officium à Reverendissimo Abbe de cantatur, ut eisdem intercedentibus meritis omnis contagiosa lues procul à pecoribus arreatur, quæ quidem anno 1728. post insolitos Sirii calores tanta clade grasslabatur in vicinia, ut turmatim pecora caderent, in territorio autem Roggenburgensi trium duntaxat pecorum jactura desideraretur, quod unicè S. Wendelini publicè privatimque implorati patrocinio adscriptimus. Sacellum numeris suis absolutum folenniter inunxit Reverendissimus Episcopi Augustani Suffraganeus, Casparus Zeiler, & consecratione finita primum ibi Sacrum obtulit P. Bonaventura Kleinmair Canonicus Roggenburgensis. Aliud quoque Sacellum, petitâ prius & facile impetrata à Reverendissimo & Celerrimo Principe Joanne Christophoro, Episcopo Augustano, gratioſa licentiâ adjecit grangiæ Hohenbuchenſi, S. Antonio Paduanō dedicatum.

Parva hæc rideſ, obſtupebiſ majora; talis namque Præfulis erat vigor, ut quiescere non potuerit, donec omnia domi & foris vigere conficeret. Unde ædificia quā plurima partim restauravit, partim ſplendidè exornavit, partim funditiæ adiſcavit. Integrum namque ædificium tum hospitum, tum famulorum domesticorum ha-

bitaculis destinatum, Abbatiali horto contiguum, & domum parochiale in Braittenthal unà cum Sacello S. Urbani erexit: Villam Waldhusanam murō cinctam, Canoniām Sanct-Lucensem superioribus annis fœdè dilaceratam, spoliatam, ad lapsum inclinatam pro singulari suo S. Ordinis conservandi augendique studio novam ex omni parte construxit, verè fundatoris nomine dignissimus. Sed quid dicemus de celeberrima Ecclesia in Schiesen? silere præstat, ubi lapides clamant. Hæc pauca addimus: manum operi primam anno 1682. ultimam 1686. admovit & in solius altaris summi ornatum sexies centum expendit florenos. Hæc quicunque legis, ne credas velim, quasi omne cum lapidibus & lignis negotium fuerit Adalberto. Etenim qui totus credebatur attendere externis, internis totus intendebat, vigilantissimus in Dei laudibus, studiosissimus, ut studiorum in suis amor effervesceret, fervor amore cresceret: nimurum non nisi aquilas proignit Jovis armiger ales, & quæcumque ad Phœbi calores splendidos nictat oculis proles, irato spuriam dimittit ab ungue.

Qui tanta pro domo sua egit, suum Cicero sensit Antonium. Pro Conservatorio florenos 15, pro concessa venandi licentia 60. quot annis solvebat Roggenburgum Burgovio, hoc annuatim Roggenburgo debebat 100. Negare haud volumus, Monasterium tardasse aliquoties stipulatas dare pecunias; sed candida non minus veritas est, nos ne obolum à questura Gynzburgensi de censu debito ab anno 1661. usque ad annum 1680. vidisse, ita quidem ut deductis etiam deducendis integrum nobis jus manferit ad exigendos mille quadringentos quinquaginta florenos. Incredibile est, quantum sudaverit Adalbertus, ut æquæ compensationi locus esset. Jam supplicibus litteris Imperatorem Augustissimum adiit, jam alios Confiliarios convenit, jam Burgovienses ad oculum edocuit, nil sese petere, nisi quod ipsa dictaret æquitas. Qui causam urgeret, Oeniponti conduxit Advocatum. Exposuit, sub quanto debitorum pondere gemat Canonia, allegavit triplum Matriculare, commemoravit bellorum incommoda, non tacuit in bonum Austriacæ domus vadimonia, recensuit, quod 6. mensium spatio debuerit viginti millia florenorum expendere. Misit denique Oenipontum P. Hugonem, Cœnobii Priorem; sed incassum omnia. Non admittebatur æquivalens compensatio, non audiebatur excusatio; quin potius audiebat tonitrua, mediis compulsivis & executivis gravida, eò denique adactus, ut pro Conservatorio & foresto petitas solverit pecunias, vix aliqua subinde censum relaxatione impetrata. O tempora! ò mores! sed laneo incedendum est pede, ne fiat tumultus in populo.

Alia quoque inhibitoria & comminatoria edicta contra se & jura sua emanare videntur in puncto eradicationis arborum. At tam fortiter Præsul intrepidus restitit, ut ipsem D. Franciscus Volmarus Volmar L. B. de Rieden Oenipontano regimini insinuaverit, ejusmodi eradicationem ob rationes convincentes difficulter prohibendam esse.

His aliisque inter multos labores & fudores rebus divinis, scientificis & œconomicis impensos præclarissime gestis, de Canonia Roggenburgensi & Sanct-Lucensi optimè meritus, onus Abbatiale, quod septendecim annis fortissimus Atlas sustentaverat, seponendum duxit, quod cùm crebris sollicitationibus à potestate superiore impetrasset, anno 1694. die 8. Februarii in manus Reverendissimi DD. Martini Abbatis Rothensis & Vicarii Generalis mitram ultroneè deposuit Roggenburgensem, retenta tamen illa ad S. Lucium, quod ut Lector intelligat, nōesse eum oportet, quod, cùm Florinus Zarn à Capitulo Provinciali anno 1662. Roggenburgi celebrato Abbas Canonice Sanct-Lucensi destinatus, Abbatiam anno 1689. in Comitiis Provincialibus Oberkirchii habitis abdicasset, Amplissimi Patres decreverint, Abbatiam Sanct-Lucensem denuò uniendam aliqui Prælatura Suevicæ, donec ad meliorem, favente cælo, fortunam perveniret. Et quoniam Ecclesia Roggenburgensis Mater est Sanct-Lucensis, filiam conjungere placuit Matri, ea quidem conditione, ut Præsul Roggenburgensis Abbatæ utriusque gauderet titulō & insignibus, deputatis vero ad S. Lucium Canonice paternè de subsistentia provideret. Itaque à Matris amplexibus in brachia filiæ involavit Adalbertus, diligens vitam non quidem otiosam, minus tamen negotiosam. Atque ibi anno 1704. jubilæus Sacerdos ad aram stetit.

E Gryfonia postmodum ad domum parochiale in Breittenthal, quam in vitalium sibi reservaverat, reversus, perpetuis laboribus exhaustus, & senio fractus, in morbum incidit, qui tamen, licet Medicorum judicio lethalis fuerit, Adalbertum impediens non potuit, quod minus Religiosis exercitiis ad amissim vacaret; præprimis ita lectione sacra, etiam agoni jam proximus, deletabatur, ut deficeret prius lector, quām auditor verbi: imò dum respirabant legentes, obdormire, dum telam pertexebant, denuò evigilare videbatur ægrotus. Lætus tardiorem expectabat mortem, quia mortal is noxæ vel semel in vita se reum fecisse ignorabat, quo identidem sese consolabatur. Tan-

Tandem 24. Augusti anno 1711. proximi adventus sui nuntios mors edentula misit, quare, ne impugnatus in pugna desiceret, eum, qui docet manus ad prælium, secum habere voluit, more quoque Christiano inunctus. Tum Canonicas illius diei Horas circa horam Sextam cum adstantibus recitando persolvit, quibus Officium B. V. Mariae (nos Cursum Marianum dicimus) quantumcunque dehortabantur cæteri, subjungere voluit, sanctè affirmans, se, quamdiu vixisset, Marianum hoc pensum neglexisse nunquam. Sic absolutis omnibus vitæ quoque cursum absolvit circa horam noctis secundam die 25. Augusti, ad augusta cælorum atria transiturus, ubi laudes Deo Poëta cantit, Rhetor dicit, Philosophus Deum comprehendit, Theologus in Deo exultat. In mundo, non mundo vixit annos octoginta quatuor, Abbas in negotiis promptus, indefessus, imperterritus. Jacet sepultus in Ecclesia Breittenthallensi.

Scutum Abbatiale, cui Insula cum pedo imposita, suprà digonum, infrà in rotundum coit. Quadrifidum est, cujus prima area in medio perpendiculariter subdivisa gemina areola constat, primâ ex toto aurea; altera verò quadripartita primam & quartam areolam habet argenteam, secundam verò & tertiam nigrum. Altera scuti area in rubea Unicornu album exhibet versus dextram exfurgens: tertia in flavo Ecclesiam inter duas turres ostendit: in quarta demum cyanea tres aristæ albantes, & è viridi colliculo protuberantes conspicuntur.

## §. II.

*Desribitur origo celeberrimæ peregrinationis ad Thavmaturgam Imaginem B. V. M. in Schießen.*

Nunquam sibi Canonicus Ordo noster à spinis metuit, quamdiu Mysticam dilexit Rosam; nec fluminibus obruendum se creditit, si totum se committeret immitteretque gratiarum mari Mariæ. Unde adhuc in cunis vagiens haud aliam expetiit nutricem, quam quæ lactavit Dominum nostrum IESUM Christum, Virgini-Matri ex asse dedicatus. Certè meliorem haud eligere potuit; cum enim (ex interpretatis parentum nominibus loquimur) expectatio Mariam genuit, Gratia peperit, omnem meritò gratiarum cumulum à Maria expectat. Canalem divinarum gratiarum collactaneus Christi Bernardus nominat Matrem Dei, nos defendimus, vix alibi copiosiores beneficiorum rivos profluere, quam ubi sedem fixerunt Præmonstratenſes. In testem vocamus Germaniam nostram, quæ vix unam Candidissimi Ordinis recensabit Canoniam, thavmaurgas Virginis Imagine carentem. Habet sibi Rothum Steinbacensem, utramque doloris simul & amoris Matrem: gratulatur sibi Wilthina, Mariam sine labe conceptam novas quotidie parturire gratias in Ambras: gaudet Steingadium, Matrem amabilem esse admirabilem in Ilgen: & demum, ut complures taceamus, Roggenburgum nostrum resplendet imagine B. V. Mariæ Majoris, prodigiis innumeris & gratiis nunquam finiendis verè Maximæ in Schießen, cujus Originem describere hic molimur.

Schießen pagus est, dimidiæ horæ passibus Roggenburgō distans, vix alicujus olim nominis, & Sacello modico, SS. Leonardo & Walpurgæ dedicato, instructum, in quo Vicarius Monasterio excurrens Sacra faciebat. Hoc munere sub annum Christi 1681. sibi demandato vigilissime defungebatur P. Severinus Ott, vir totus ad piatem natus, & tantus mortificationis amator, ut passim conduceret homines, qui pugnis cæderent, aut pede protererent. Mira quoque in eo fedebat humilitas, non quievit fervor, omnes propè metas egressus. Primas tamen vendicabat sibi Mariana devotio, quippe Mariam amabat ut Matrem, reverebatur ut Dominam, nulla unquam occasione prætermissa, qua cultum ejus aliis quoque instillaret, promoveret, prolongaret. Dies noctesque somniabat, qui imaginem quampiam magnæ hujus Dominiæ in Sacello suo parochiali erigere posset, ut nunquam non Rachelem haberet præ oculis, quam totis animi viribus semper & ubique dilexit.

Arridebat præ cæteris Icon B. V. Mariæ, quam vocant Majorem, & Evangelico Lucæ penicillō delineatam esse, constans fama fert. Hinc frequenter ingeminare audiebatur Severinus: confidenter spero, fore, ut miraculis & gratiis inclaret ejusmodi imago, si quam obtainere potero. Similem illo tempore & quotidianis beneficiis percelebrem venerabatur Haupletshoven, ditionis Freybergianæ vicus. Eò follicite rogata & tandem gratiolè concessa facultate viam ingreditur Severinus, non quidem discalceatus, sed tamen, ut compertum postea, pessimè calceatus, utpote calceos induitus acutissimis clavis armatos, additis præterea aliis mortificationis operibus, omnemque trium horarum viam in jugi silentio ac meditationibus sanctis emensus. Facta per

*Tom. VI. Collect. Monast.*

Kk

Illu-

Illustrem Dominum à Freyberg depingendæ Copiæ copia, in arte Magistrum conductit Neoburgi, qui, manum haud dubiè ducente Virgine, ad ultimam usque lineam perfecit imaginem. Ad primum formosissimæ Rebeccæ ingressum non ita jucundabatur Iaacus, quantum Severini Spiritus tripudiabat, tanto ditatus thesauro. At vix non depræ datum sese vidit. Benedixerat enim allatam imaginem Reverendissimus Abbas Adalbertus, locum tamen, in quo publicè venerationi exponeretur, non illicè designavit, fluctuans, an Sacellum S. Leonardi in Schießen, aut neo-erectum S. Wendelini in Schlebuch præferret. Quod ubi rescivit Severinus, instanter, instantius, instantissime etiam de genibus supplicavit filius Patri pro Matre in Schießen collocanda. Non potuit non annuere ferventissimis precibus & congregatis Severini votis Adalbertus. Diem itaque introducendæ solenniter imagini destinat illum ipsum, quo purificata, non purificanda, Virgo in templo Hierosolymitano cum nata de carne sua purissima Puritate comparuit, prout ipsemet P. Severinus rudi quidem, sed pietatem spirante calamo expressum reliquit in hæc verba: *Anno 1681. die secunda Februarii ipso die Purificationis Beatissimæ Virginis Deiparae Mariæ, haud dubiè ex singulari Dei dispositione venit Imago depicta ab originali vera Beatissimæ Deiparae Mariæ effigie in Hauplezboven, Deo ejusque dignissimæ Matri sint infinitæ laudes, ex fidelium plerunque Schieffensium oblatione libera; Deus annuat votis, ut intentio, qua eò scilicet in Schießen venit, adimpleatur. In bunc finem die nono Februarii, scilicet die Dominica Sexagesimæ solenne Officium ab Admodum Reverendo & Clarissimo Domino P. Corbiniano Kam Sacri & antiqui Ordinis S. Benedicti Presbytero, & Imperialis Monasterii SS. Udalrici & Afræ Professo, nec non Monasterii Roggenburgensis Professore p. t. Ordinario SS. Theologiae fuit celebratum ibidem. Hæc P. Severinus.*

Interim Beatissima Virgo, quæ olim cum festinatione abiit in montana, nec per momentum tardavit, ex alto in vallem Schieffensem pleno alveo & ruptis quasi cataractis depluere gratias, ut gratum sibi ostenderet, habitare in loco isto. Etenim vix ad vesperam inclinata erat dies, ingruentes noctis tenebras lux infolita dispulit, quam directè suprà Sacellum Schieffense effulsiſſe cives quidam, Weiffenhorntum tendentes, multo stupore defixi conspexerunt. Nimirum diffluxerunt tenebrae ab habitaculo, in quo Sol & Luna, JESUS & Maria, steterunt. Sed morbi etiam infirmitatésque recesserunt, ut primum Salus infirmorum accessit. Primus, quod sanè mirandum, meliorum humani generis Evam expertus est Adam. Rupit Protoparens nostræ filum felicitatis, Eva malè consulente; in Schießen Adamus, Christophori filius, gravi corporis rupurâ laborans sanitatis integræ restitutionem Mariæ debet medenti. Cum enim, præente P. Severino, coram imagine Virginis recens introductæ 10. Pater & ave expansis brachiis recitaset parens, Mater propitia extendit manum non abbreviatam super puerum, quem Christophorus precibus absolutis melius habentem, post dies verò quatuordecim omni malo absolutum vidit. Res mira quantocyūs divulgata suis omne vulgus excivit sedibus, & appensa ex omni latere anathemata Sacellum Schieffense, quod Turrim Davidicam intrâ muros suos concludebat, toto cælō Davidis turri difformem fecerunt. Namque hanc pendens ex ea fortium armatura terribilem, illud debiliū instrumenta reddiderunt amabile, adeò ut tandem Augustanum Officium sui esse officii duxerit, utrum in pago tam vili verè resideat Augustissima Cælorum Domina. Venit itaque die 27. Julii anno 1682. Plurimū Reverendus & Excellentissimus D. Joannes Eberhardus Scheißler, S. Theologie Doctor, Parochus Neoburgi ad Canelam, ad opus inquisitionis specialiter deputatus: vidi & audivit, quanta brachium Dei faceret per manum Mariæ: victus, & testium verbis convictus dixit: non est hic aliud nisi domus Dominæ. Nil contra fidem fingimus, ut fortassis suprà fidem scribimus, nullum fuisse morborum, periculorum, aut mortis discrimin, quo major non fuerit B. Maria Major in Schießen; cæcus enim videbat, claudus ambulans exiliebat, mutus loquebatur, surdus audiebat, Tabitha à mortuis surgebat, Socrus Petri laborans febribus ministrabat, pœnitens Maria flebat, Dismas à patibulo ad cælum evolabat. Verbō: omnibus omnia facta est Maria in Schießen, ut per antonomasiā Thavmaturga ubique diceretur. Interea numerus peregrinantium ita quotidiè increvit, ut non tantum Sacellum, quod Chori moderni spatiū vix æquabat, sed etiam structura eidem ex ligno addita non caperet adventantes, nec pluvio, nec grandinante, nec cælo hyemante impeditos, quin ex remotissimis etiam partibus turnatim advolarent. Unde Reverendissimus Abbas Adalbertus moderno templo, ferè dixisse Basilikam, construendo initium, quarto autem anno finem fecit, manu ultima per solennem inaugurationem admota abs Reverendissimo & Illustrissimo DD. Eustachio de Westernach, Serenissimi Principis & Episcopi Augstanti Suffraganeo, qui Dedicationem Ecclesie anniversario ritu celebrari voluit Dominicā Festum B. V. Mariæ ad Nives proximè sequenti. Cultus verò & confluxus devote currentis populi adeò frequens & numerosus exti-

exitit, ut unus etiam annus octoginta Communicantium millia non semel numeraverit. Neque succendentibus annis descendit populi fervor; quippe tam in Festis B. V. Mariæ, aut aliis Sanctorum diebus festivis, quam in Sabbathis Quadragesimæ tantus peregrinantium numerus ad panegyres Marianas confluere solet, quantum Ecclesiæ latitudo non capit. Hodie ad promovendum cultum & Curam animarum expositus in Domo Parochiali residet Canonicus Roggenburgensis cum titulo Superioris, adjuncto sibi Coadjutore, qui tamen diebus duntaxat Sabbathinis, & tempore astatis festivis ibidem pernoctare solet. Viget præterea florētque in Schiessen Mariana Confraternitas, sub titulo septem dolorum B. V. Mariæ anno 1685. erecta, & per sequens Breve Apostolicum confirmata.

### *Innocentius PP. XI.*

**A**d perpetuam rei memoriam. Cum (sicut accepimus) in Ecclesia Beatissimæ Mariæ Virginis in Schiessen Augustanae Diœcesis<sup>1</sup>, Provinciae Moguntinæ, una pia & devota utriusque sexus Christi fidelium Confraternitas sub titulo Septem dolorum ejusdem B. Mariæ Virginis, non tamen pro hominibus unius specialis artis, Canonice erecta, seu erigenda existat, cuius Confratres & Sorores quam plurima pietatis & charitatis opera exercere consueverunt. Nos, ut Confraternitas hujusmodi majora in dies suscipiat incrementa, de Omnipotentis Dei Misericordia ac BB. Petri & Pauli ejus auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui dictam Confraternitatem imposterum ingredientur, die primo eorum ingressi, si verè pœnitentes & confessi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumperferint, plenariam: ac eisdem tam descriptis, quam pro tempore describendis in dicta Confraternitate Confratribus & Confororibus in cuiuslibet eorum mortis articulo, si verè pœnitentes ac confessi, ac Sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequierint, saltem contriti nomen IESU ore, si potuerint, sin minus corde devotè invocaverint, etiam plenariam, ac eisdem nunc & pro tempore existentibus dictæ Confraternitatis Confratribus & Confororibus verè pœnitentibus & confessis ac Sacra Communione refectis, qui præfatae Confraternitatis Ecclesiam, seu Capellam, vel Oratorium die festo principaliter dictæ Confraternitatis per Confratres semel tantum eligendo, & ab Ordinario approbando, a primis Vesperis usque ad occasum solis festi hujusmodi singulis annis devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hærefum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam misericorditer in Domino concedimus.

Insuper dictis Confratribus & Confororibus etiam verè pœnitentibus & confessis, ac Sacra Communione refectis Ecclesiam seu Capellam vel Oratorium hujusmodi in aliis quatuor anni feriatis, vel non feriatis, seu Dominicis diebus per dictos Confratres, etiam semel tantum eligendis, & ab eodem Ordinario approbandis, ut suprà visitantibus & ibidem orantibus, quo die præfatorum egerint, septem annos & totidem quadragenas; quoties verò Missis, & aliis Divinis Officiis in Ecclesia seu Capella vel Oratorio hujusmodi pro tempore celebrandis & recitandis, seu congregationibus publicis vel privatis ejusdem Confraternitatis ubivis faciendis interfuerint, aut pauperes hospitio susceperint, vel pacem inter inimicos composuerint, seu componi fecerint, vel procuraverint, vel etiam qui corpora defunctorum tam Confratrum & Confororum hujusmodi, quam aliorum ad sepulturam associaverint, aut quascunque Processiones de licentia Ordinarii faciendas, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum tam in Processionibus, quam cum ad infirmos, aut alias ubicunque & quomodocunque pro tempore deferetur, comitati fuerint, vel si impediti campanâ ad id signo dato semel Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam dixerint, aut quinque Orationem & Salutationem easdem pro animabus Defunctorum Confratrum & Confororum hujusmodi recitaverint, aut demum aliquem ad viam salutis reduxerint, & ignorantes præcepta Dei, & ea, quæ ad salutem sunt, docuerint, toties pro quolibet præfatorum operum exercitio sexaginta dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitibus pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus, præsentibus perpetuis futuris temporibus valiturus. Volumus autem, ut, si alias dictis Confratribus & Confororibus præmissa peragentibus aliqua alia indulgentia perpetuâ vel ad tempus nondum elapsum duratura concessa fuerit, præsentes nullæ sint, utque, si dicta Confraternitas alicui Archiconfraternitati aggregata sit, vel imposterum aggregetur, aut quavis alia ratione uniatur, vel etiam quomodolibet instituatur, priores & quævis aliæ litteræ Apostolicae illis nullatenus

suffragentur, sed ex tunc eo ipso nullæ sint. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 30. Octobris 1685. Pontificatus nostri anno decimo.

## §. III.

*Annotationes.*

Innocentius XI, prius Benedictus Odescalchi, ab Innocentio X. purpuratis Patribus annumeratus, unanimi Cardinalium voce Pontifex creatur anno 1676. in festo S. Matthæi, columbâ super caput ejus apparente, cùm ætatis annum numeraret sexagesimum sextum. Ipso electionis die Poloni insignem de Turcis reportarunt victoriam. Prætermis suis Consanguineis plerosque Ecclesiæ redditus expendit in usus pauperum. Voluit, ut nulla mulier collo & vix non pectore nudato in Ecclesia compareat. Monialibus cuiuscunque Ordinis omnem interdixit Musicam. Anno 1687, die 28. Augusti Michælis Molinos propositiones 68. confixit, & authorem ad perpetuos carceres condemnavit. Sedit in Pontificatu annos fermè tredecim, & mortuus 12. Augusti 1689. in fama Sanctitatis, miraculis inclaruit, præsertim per amuleta, *Agnus Dei* dicta, seu Ceras Papales ab ipso benedictas.

Canonæ omnium Sanctorum initia, cui Roggenburgensis suum debet Adalbertum, sic historicè pingunt Fasti Sanctorum. Anno 1192. extitit Utta vidua Welphonis Ducus de Schauenburg, ex Castro de Schauenburg propè Oberkirch, nata Comitissa ab Eberstein, unici filii Gerungi Mater, in candidam Præmonstratensem familiam sub id temporis recens exortam, desiderio sanè maximo & ardentí flagrans, cui quò plenius satisfaceret, divinitus inspirata firmiter secum statuit, suis è facultatibus Canoniam quamdam Ordinis Præmonstratensis fundare. Dubia de loco, asinum oneravit pecuniis, ibidem constituens ædes Religiosas erigere, ubi animal, imposita farcinâ pecuniariâ se se liberatum foret. Sed notandum, viros aliquot constitutos fuisse, ad observandum iter ab asino per montes & colles arreptum; qui continuas duas horas pergens, ubi ad altitudinem montium devenit, sitibundus terram calce quassavit, & ecce continuo fons limpidissimus exivit, usque in hodiernum diem lètissimè scaturiens, & figuram ungulæ præferens. Expletâ siti, pergunt denuò asinus & observatores ejus per densa sylvarum ad justum semi-horæ spatium. Ubi in vertice montis stetit jumentum, illico omne suum dejicit onus pecuniale; quod factum est die festo Sanctæ Ursulæ & Sociarum ejus. Initio eapropter consilio, atque obviis impedimentis ritè perpensis, cùm & loci sublimitas & continua quasi ventorum asperitas, habitationis de congruo struendæ copiam non daret, nihilominus ad perpetuam rei memoriam extructa fuit Capella Sodalitati ejusdem S. Ursulæ Sacra: in valle verò, quæ præfato monti subjacet, Ecclesiæ omnium Sanctorum fundamenta jacere placuit, quæ anno 1193. feliciter ad apicem surrexit, Claustro cæterisque regularibus ædificiis anno 1198. ad finem deductis. Sita est autem hæc Canonia in Hercinia, seu sylvâ nigra, intrâ limites Diœcesis Argentinensis, loco suapte naturâ horrido, inter montium circumquaque cingentum juga posito. Horrore situs non nihil abterriti Præfules, ad Lauterbachum mediâ ab Oberkirch horâ, Monasterium non semel transferre voluerunt; sed Capitulum Generale anni 1484. Præpositis & professuris postea Canonicis omnem transmigrationis spem suo ademit decreto, quo statuit, ut nullus deinceps ad professionem admitteretur, nisi prius juramento solemni spôpondisset, quod nec per consensum præstandum velit pati aut facere translocationem Monasterii. Usque modo Sanctorenses paruerunt Ordinis Sanctionibus, inclemensia cæli, soli sterilitate, nivium frequentiâ, solitudinis asperitate nunquam fracti. Porro variam experta est fortunam. Andreas Rahard Præpositus XIII. totam domum subito vidit conflagrare incendio circa annum 1474. Henricus Thel infestos sensit Lutherum & rebellantes rusticos. Sub Petro Müller denuò in cineres resedit. Jacobus Jele Præpositus XXVI. à Ministris Brandenburgicis de nocte comprehensus, in Castro de Achstein Martyr occubuit. Anastasius denique, ad quem pro consensu in electionem missum est, meliora nactus fata, primus Abbas à Capitulo Generali anno 1657. & ter Visitator Sueviæ renuntiatus est.

Caput XIX.

## CAPUT XIX.

## Hugo Lintner, Abbas XIX.

## §. I.

*De rebus gestis, exilio, Resignatione, & morte Hugonis.*

**I**n Hallensi principalis Comitatū Tyrolensis civitate ex prænibili familia Lintnerorum de Kolbenthurn natus anno 1652. die 7. Aprilis, patrem habuit Joannem, Matrem verò Catharinam Veronicam, omni morum honestate conspicuos. Adolescens ad studia Roggenburgum missus, sic pietati studuit, ut candidum fore mores candidi vaticinarentur, & egregius in litteris profectus dignum sacro probaret habitu. Anno probationis inter continuos virtutum habitus transacto, dignus est habitus, qui horto Religionis perpetuò implantaretur ipso mense, quo prima in hortis ridet Flora. Sacerdos ob dotes efflorescentes diversimodis est applicatus munii, Cellarii, Parochi in Benderen, Subprioris & Prioris, ut disceret tempore suo agere Abbatem. Egit, quando à rebus præclarè gestis clarissimus agere ultrò desit Adalbertus. Etenim præsidente Reverendissimo D. Josepho I, Abbe Urspergensi, Alistente Reverendissimo D. Martino, Abbe Rothenisi & Vicario Generali, Notario R. P. Andrea Serwerth, Canonico Rothenisi, testibus RR. PP. Dominico Röhnsner Urspergensi, & Friderico Schmitz Sanctorenisi Canonico, anno 1694. die 18. Februarii concordi votantium calculo ex Parocho Benedurano in Abbatem electus est Hugo.

In Abbatiali dignitate constitutus, quemadmodum de ipso perhibet R. P. Kham, cui Præfulis genius erat perspectissimus, virtute clarius, quam Sanguine fuit, sacerdos, nulla sucti sœculi aspersus macula, miræ comitatis & benevolentiae. Affabilitas, cultusque tenuitas indicio fuere, humilitatem in Hugone vigere maximam. Quisquis illum adit, nunquam sine spirituali consolatione rediit, quo se Patrem filiorum amantissimum probavit. Præcipuus autem Præfulis labor in eo desudabat, ut insignem Ecclesiis splendorem conciliareret; quam ob rem Altaria in Ecclesia Schieffensi recens exstructa coloribüs aurō copiosō & argentō distinctis obduci, quatuor condelabra argentea cum lampade ex eodem metallo, vestimenta sacra, seu, ut dicunt, Ornatum Officio divino solenni destinatum confici curavit. Quod Roggenburgi quoque eodem fervore præstítit, ubi anno 1700. Sacram Supellecilem splendido ornatu auxit, aurei potissimum operis, & rubro-ferico pro partium varietate distincti, cui successu temporis alium addidit, aurati pariter operis & intextis floribus argenteis conspicuum. Piam deinde operam & manum Sacello Schlebuchensi commodavit, cui turrim adjecit, tripli campanâ instructam. Refectorium quoque gypso & picturis eleganter ornavit, quem laborem Joannes Merck Wessofontanus intrà quatuor menses absolvit. Simili modo Cellariam & atrium Abbatiale illustrari fecit.

Ut Monasterii jura defendendi non deesset Hugoni occasio, campum satls amplum & à nobis minimè expectatum aperuit D. Ferdinandus Scheler, Sac. Cæf. Majestatis ad Superioris Austriae Cameram aulicam Consiliarius. Is, cùm annō 1694. comitante D. de Grachen Secretario saltus obequitando visitaret, delatus ad officinam vitriariam Magistro ligna cädere, aut truncos eradicare severissimè interdictum voluit. At noluit sub hoc interdicto vivere Roggenburgum. Unde Gynzburgum alegatur R. P. Franciscus Kesser Monasterii Prior cum scripta informatione, qua docetur, eradicationem arborum & officinam vitriariam cum consensu Regiminis Oenipontani sub Adalberto Abbe non tam esse ceptam, quam legitimè continuatam, utpote qui ad oculum demonstrasset, in eo districtu priori tempore villas Waldhausen, Salchenweiler, & Schweigbeyren sitas fuisse, consequenter fundum jure proprietatis ad Monasterium pertinere. Non acquieavit declarationi Commissarius, afferens, officinam vitriariam, NB. antea quidem cum consensu debito erectam, & frequentes eradicationes saltus irreparabile damnum accersere, jura forestalia lädere, articulis ab interim dictis, variisque contractibus super lignorum cæsione initis è diametro contravenire. Doceret proin Roggenburgum, quo jure & ex cuius consensu jus tertii tam enormiter lädere. Enimverò multum clamoris. Acta principaliora tunc ad manum non erant; unde nudo comprobare asserto necessum erat, veritate nisi, quidquid dictum scriptumve fuisse. Additum præterea, personas, antehac oculari inspectioni & limitum positioni præsentes, adhuc in vivis Tom. VI. Collect. Monast. L 1 deg.

degere, eradicationem annis omnino quatuordecim continuatam, denique Commissarium Cæfareum biennio, & quod excurrit, abhinc elapsò, saltus Roggenburgenses obequitantem, ratione Officinæ vitriariæ nihil omnino in contrarium movisse: proinde decretum inhibitorum relaxando, quietam Canonizæ possessionem haud amplius turbaret. Aut omnino nullam, aut minus faventem de calamo D. Scheler fluxisse responsonem, ex eo colligimus, quod Reverendissimus Hugo causam Regimini Oenipontano detulerit, & R. P. Josepho Hamer, Can. Reg. S. Augustini ad Insulas Wengenses professo, tum negotia Monasterii sui ibidem curanti, & D. Doctori Sartorio energeticè commendaverit. An postea Roggenburgum aut decretò inhibitoriò expressè relaxatò, aut ex titulo quietæ possessionis continuaverit eradicationem, non constat, eò quod pleraque documenta D. Sartorio Advocato nostro communicata, haud amplius fuerint remissa.

Hæc cùm domi & pro domo agit Hugo, subito actum esse de domo videt. Diem supremum tunc obiit Carolus II, Hispaniarum Rex, & tædæ mortuales degenerarunt in Martiales, & Carolo Austriaco & Philippo Andegaveni solum affectante, quod quia geminos non potuit capere reges, ad arbitrium ferri clamatum, quo plerumque arbitro de regnis conclamatum est. Italianam prima corripuit flamma, ubi Petrus denuò ad Galli cantum flere didicit; secunda invasit Belgium, tertia succedit proximum Ucagontem, Palatinatum & partes ad Rhenum Superiorem; quarta denique in nostram usque Sueviam involavit. Ulma inlytum patriæ nostræ munitum subitanè occupata primò cladem sensit, malo exinde in omnem latè viciniam serpente. In quo rerum statu solum à fuga quærendum erat consilium, Abbe Mindolhemum se recipiente, Novitiis cum Magistro suo ad Sanct. Lucensem Ecclesiam, consultum in ejusmodi turbine asylum, abire jussis, aliis quaquaversum dispersis. Qui domi remanserant, multa gravissimæ perpepsi sunt. Anno enim sequenti, qui erat suprà millesimum, septingentesimum tertius, cùm hyemare inciperet cælum, & ferrum non amplius calleter, Gallus quæsivit focum, Monasterium cum adjacentibus villis pagisque occupando. Quidquid cibi potiusve Religiosorum indigentia destinatum supererat, inter se fuosque diviserunt milites. Crederes, in Regulam S. Augustini iurasse, adeò erant illis omnia communia. Pauperum quoque curam habebant prorsus singularem; nam reliquias, quas vel nolebant, vel naufragabant, Religiosis cesserunt, quod tamdiu continuatum, donec oculus haud amplius invenit, quod dentes roderent. Abacta dein fuere pecora, equi ab ipsis curribus abstracti, quin etiam ex Religiosis duo, PP. Adalbertus & Basilius, Leütkirchium, alius, P. Gilbertus, Ulmam armata manu abducti sunt, ubi sub arctissima militum custodia tamdiu hærendum erat, donec ingenti pecuniarum summa redimerentur. Et qui hæc fecit, dicunt esse Christianissimum. Sed nondum est finis. Malum auxit continuus ac ingens pavor, qui afflictis identidem per hostiles copias ingebatur, ut Officio quoque Divino fine metu vacare non potuerint.

Inter hæc, quanta sit passus Hugo, licet in tuto positus, prolixè recensendum non existimo; hoc tamen singulare est, quod contempto etiam vita periculo quandoque ad suos remeaverit, consolatus filios Pater, qui tamen fomentis ipsem egebatur, utpote qui in Gallorum annonam, hyberna, itinera, armaturam, munitorum reparationem, exstructiōnem, regale præsidium, & contributiones sub igne ferróque imperatas duorum annorum spatiō ultrà centum & triginta florenorum millia expendere debuit.

Tandem, dum propè Höchstadium aquila discerpit gallum, tutior ad penates fuit redditus, ubi mox operam bellō impeditam denuò ad Ecclesiarum splendorem contulit. Et quidem anno 1707. Arae summæ in templo nostro jam penitus senescenti novam substituit, sculptili arte conspicuam, cuius facies hæc erat. In medio conspiciebatur statua B. V. Mariæ in celos assumptæ, à dextris D. Augustinus Episcopus & Legislator noster Pluviali, ut vocatur, veste indutus, Patroni primarii Ecclesiae nostræ: à sinistris S. Joannes Baptista tanquam Patronus secundarius, ambo inter duo fulcrum palmitibus vitis statuminatae instar circumligata. Superius in gloria prominebat Pater Cælestis, à dextra levaque equis insidebant SS. Martinus & Georgius, ille divisum gladio pallium pauperi exhibens, hic draconem lanceam transfodiens: inferius autem Sanctissimi erat repositoryum; Chorum deinde polito marmore stravit, & novum in eo Organum posuit: præterea quatuor turres Canonizæ nostræ albis laminis ex ferro texit. Anno dein sequenti Chorum Ecclesiae Wisenbacensis cum adjecta turri à fundamentis ædificavit; turrim verò in Tafertshoven antiquo opere exstructam ad medium usque dejet, & novi operis structuram exornavit. Demum obtentâ à Serenissimo Principe & Episcopo Auguitano, Alexandro Sigismundo, licentiâ novum Curiæ Waldhusanæ Sacel-

cellum apposuit, opus benefica Plurimū Reverendi, Prænobilis & Excellentissimi D. N. Rees Collegiate Ecclesiæ in Dillingen Senioris & Decani manu promovente.

Pedem cum Illustrissimo D. Maximiliano Wilhelmo Comite de Styrum in Lymburg coactus conferre, pro jure suo stetit immobilis Abbas. Bona Francisci Schedi Subditi Illeraicheimenis in Tafertshoven post mortem possidentis inculta jacebant, unde vectigalibus annuis aliisque de jure præstandis defraudabatur Roggenburgum. Ad hæc nemō se movebat, ut solveret debitum 250. florenorum. Proinde ab ulteriori sibi damno præcavens Monasterium, duos currus fœno onustos de prato Schediano avexit, factumque hoc mox Oeniponto insinuavit. Inde mox decretum emanavit ad D. Comitem, ne Jura Roggenburgensia turbaret. Is hac agendi methodo offensus, litteris Roggenburgum missis inclusit copiam Mandati Cæfarei, ut Monasterium convenientem daret satisfactionem. Responsum est, fœnum mox restituendum, si Ecclesiæ consultum fuisset indemnitatii. Nulla sic parte cedente, dissidentes convenire in Unterroth, ubi puncta in medium allata Roggenburgum acceptavit, sola fago excepta, petitis desuper induciis, quoad usque domum redirent Documenta, belli tempore aliò translata; insuper reservavit sibi prætensionem in bonis Schedianis. Exceptiones hæc justissimæ obicem posuerunt amicabili compositioni. Quamvis enim jam hic jam alibi privatæ consultationes fuerint institutæ, ut amoenissimum mutuæ pacis ac amicitiae vinculum redintegraretur; fato tamen factum est, ut nova subinde fatalia majores facerent scisuras, & calamidemum fierent ad contumelias usque acuti. Culparam haud imputamus Dominis; cum aliunde fatis constet, in ejusmodi casibus foco ut plurimū ligna subjici à subditis, qui ad raucedinem usque clamant, peti jugulum, dum jus & æquum exigit oboolum. Illa præ cæteris oppida, vicos, & villas ejuscemodi tricis vix non inevitabiliter subjacere videmus, ubi duplex & diversa manus moderatur habenas. Imperet dextra, reclamabit sinistra; hac legem dictante, sinistrè latam judicabit altera, nec finis erit lictum, donec alterutrum judicantis aut cadat aut cedat subsellium. Certè hæc ipsissima, de qua loquimur, causa vix alicujus sub ortum suum momenti, in illas excrevit flamas, quas nec Reverendissimi nec Illustrissimi extinguere potuerunt Mediatores, donec elapsò justò triennio suffragante arbitrio Landgravii de Fürstenberg amicæ compositioni factus fuerit locus.

Quæ tamen cunque demum sequioribus annis cautela ex utraque parte fuerit adhibita, impediri tamen haud potuit, ut non subinde scintilla eruperit. Unde immortales sibi à Roggenburgo gratiarum actiones promeruit Reverendissimus Abbas Casparus, qui numeratis pecuniis pagum Tafertshoven universum & quod ad omnes & singulos illius incolas nostræ jurisdictiōni ac potestati plenissimè subjecit, quo demum pacto controversiis, litigiis, querelis, ac odioso litterarum cambio finis venit.

Hæc & alia cùm laudabilissimè ageret Hugo, censoriam non effugit ferulam, qua filius posthumus dignum judicat, quod partem ditionis nostræ præcipuam, pagum Obenhusanum, venditione alienaverit, nemine ex Capitularibus nisi solo P. Gilberto Oetschmann vehementer oblectante. Cæterum anno regiminis sui decimo octavo currente ab operibus suis quiescere voluit, liberè cedens Abbatia, & retenta in sedem domo parochiali in Breittenthal. Anno dein 1720. gloriosum Præsuli tempus approxinavat, quo quinquagenarius ab emissâ Professione Religiosus in domo Dei steterat. Quam ob rem 14. Julii in manibus Reverendissimi Dominici Successoris sui primam oblationem secunda ratam firmamque habuit, id ipsum præstantibus RR. PP. Basilio Wanner & Adalberto Wanner jubilatis. Bienniò superstes ita viribus & visu deficere cœpit, ut vix non cæcus haud amplius mortis infidias effugere potuerit, quæ tertiâ Augusti 1722. monitum & probè munitum invasit horâ noctis duodecima, ut primam numeraret ibi, ubi diem nox nulla interpolat. Vixit homo annos 70, & hominis exuvias posuit in Ecclesia Breittenthalensi. Scuto Abbatiali, quod ovalis figuræ, Mitra cum pedo, ex altera verâ parte galea coronata incumbit, è qua duo cornua prominent, quorum dextrum superius usque ad medium coccineo, inferius nigro colore tinetur est; sinistrum verâ non nihil aureum de cætero in nigrum definit, defluentibus ex utroque Scuti latere lacinis auro, nigroque distinctis. Clypei campus lineâ à capite ad medium lateris ovaliter in dextram & sinistram ductâ tribus areis constat, quarum prima superior ex auro Castorem versus sinistram exsurgentem refert; altera quadripartita est, cujus prima & quarta areola argentâ, secunda & tertia nigro colore obsita est, tertia eâque infima Ecclesiam cum duabus turribus exhibit, in cuius porta tres aristæ è viridi natæ videntur. Regionem centricam Scutulum occupat, idque gentilitium, suprà digonum infrâ in rotundum cojens, & quadripartitum. Prima & quarta areola nigra est, & qualibet triplici diagonalis finistro baltheo insignis,

quadra verò secunda & tertia superius coccinea Cantherium album quælibet complefitur, pars inferior cantherio subiecta nigra est.

## §. II.

*Annotationes.*

**A**nno 1708. die 12. Decembris in Domino pientissimè obiit Venerabilis P. Severinus Ott, Senior, anno ætatis suæ octogesimo primo, vir miræ in Deum devotionis Mariophilus insignis, cui primariò & Cultus Thavmaturgæ Virginis in Schießen, & Ecclesia ejus honori ibidem exstructa originem debent, Religionis Zelator eximus, & austera vita ratione etiamnum inter nos celebris. Magnam Viri famam auget Imago Crucifixi, multis hucusque in Ecclesia Neocellensi (*Neustifti*) Ordinis Præmonstraten-sis propè Frisingam in Bavaria beneficiis famigeratissima. Hanc enim cum P. Severinus Neocellam aliquando missus, adhuc ignotam, nec publico cultu celebrem conspexit, ad præsentes ex illa Canonia Patres dixisse fertur: curam haberent hujus Sacré Imaginis, venturum aliquando tempus, quo illa multis coruscaret beneficiis. Vatem fuisse Severinum ad hæc usque tempora experientia comprobavit. Multo senio spectabilis Sacerdos Jubilæus inter continuas lacrymas, ut quotidie solebat, ad aram stetit in pago Schießensi extrà Ecclesiam, quæ ingentem confluentis populi numerum non capiebat. Qua occasione Jubilæo panegyrin dixit Mitratus Sacerdos jam à quatuor annis jubilæus, Reverendissimus DD. Abbas Adalbertus. Venerabiles Severini exuviae in Sacello nostro Einsidlensi tumulatae sunt, quia post mortem quoque non oportuit amantem ab amata, filium separare à Matre.

Anno 1709. die 17. Aprilis Reverendissimus Hugo lapidem fundamentalem posuit Sacello S. Antonii in Nordholz, & mox in eodem loco inter tubas & tympana solenne Officium decantavit. Anno sequenti Serenissimus Princeps & Episcopus Augustanus Alexander Sigismundus licentiam dedit ibidem operandi Sacris.

Eodem anno, die verò 11. Martii, Michaël Frisch, lanio in Biberach, horrendo vulnere, quo vituli solent mactari, collo inficto mortuus in Camera sua inventus, & suicida judicatus est. Cadaver per fenestras à Carnifice dejectum, in loco debito Burgoviensibus est extraditum, qui cum 15. florenos exigenter, non nisi 6 acceperunt, idque juxta articulos ab interim.

## C A P U T XX.

## Dominicus Schwaninger, Abbas XX.

## §. I.

*Dominici mira Vocatio, Studia, Officia, & Electio in Abbatem.*

**A**ut nunquam vivere, aut certè mori nunquam debuit, Dominicus. Ita in laudem Viri omni laude majoris calamum acuimus, dolentes, quod suus Dominico non sit Homerus, qui cytharā, aut Maro, qui buccinā canat gesta, æternitate digna, quorum Iliadem nos in nuce conclusam exhibemus. Puerum ex Patre Marco Schwaninger & matre Maria Magdalena Seizin natum primo vidit Stoffenried, pagus hora spatiò à Roggenburg distans: adolescentem valde liberaliter lactaverunt Musæ Elchingenses: juvenem, si annos excipias, nemo, virum omnis homo admirabundus conspexit. E sacro Baptismatis fonte nomen, non fata Balthasaris tulit: quippe Magnum ad cunas Dominici Infantis stella lucidissima, ad domum Domini Balthasarem nostrum duxerunt tenebrae. Ut certius esset inter illos, quos benedictos vocabit Judex, optimum judicavit, si magni viam iniret Benedicti. Commendatitias dedit Elchinga, ut repulsam pulsanti non daret Ottobura. Viam ad hoc Asceterium ingreditur, sed tota vix non die ambulat in circuitu, donec opaca præventus nocte, cum nescio quam feso putaret ementum esse viam, nil tale opinatus ad Canoniam nostram defertur. Liberalior Balthasaris facies, plus tamen ingenua morum honestas rapuit Canonicos, ut altero mox die consentientem & vix petentem suo dignum contuberniò judicaverint. Tyrocinium, parentibüs maximoperè invitis, Mense Octobri anni 1692. ingressus, hōc 11. Julii 1694 solenniter professus est egressus, nomen habens Dominici. Paulò post

post ad Dilinganam Academiam emissus, illos pietatis virtutisque emisit radios, ut Marianæ Congregationis primum Secretarius, dein Praefectus fuerit salutatus. Emenso Theologiæ stadio, Peripatum deambulare jussus est, publicus ex Cathedra Professor, à qua in Theologicam ascendit. Cursum non absolvit calamus, quia Gallus magis acutum strinxit gladium, & Professorem cum aliquot Discipulis in Gryfoniam usque excurrere jussit. Ibi Sacros exponens Canones, in publica velitatione bis antagonistam habere meruit Reverendissimum ac Celsissimum S. R. I. Principem, DD. Udalricum, Episcopum Curiensem. Domi postea Provisorem, foris Administratorem in Benderen septenniō, quo expleto domeiticum egit Oeconomum. Tandem 5. Decembris anno 1713. majoritate votorum in Abbatem electus est, actum dirigente Reverendissimo D. Josepho II Abate Urspergeni, Assistente Amplissimo D. Leopoldo, Abate Minoraugensi & Vicario Generali. Ajunt, tres inter quem eligerent, hæsiſſe Capitulares, & novum tunc Roggenburgi auditum esse triverbum, qualitates eligendorum ita exprimens: in Menrado habebimus Abbatem sanctum, in Macario politicum, in Dominico oeconomum. Die Decembris decima tertia subditi de more Neo electo homagium præstiteré, qua novum ac sibi proprium Insigne elegit Dominicus. Scuti, quod loquens dicitur, figura ovalis est: caput imago B. V. Mariæ Divinum Pusionem in brachio gestantis occupat, media inter Mitram, quæ in parte dextra, & pedum, quod è sinistra prominet. Scutum lineā per centrum transversè sectum, in duas præcipue regiones dividitur, quarum cephalica lineā perpendiculari divisa, duabus areolis constat; prima ex auro Castorem cum pisce in fauibus refert: altera ex albo & nigro quadrisida est. Regioni centricæ scutulum incumbit, suprà digonum, infrà in rotundum definens, quod tres aristas in viridi colle exhibit. Inferior five perigæa regio geminā lineā circulari à medio scutuli tam in dextrum quam in sinistrum clypei latus ducta tres areas habet, prima viridis stantem versus sinistram cygnum exhibit, in media, quæ coccinea est, cygnus conspicitur quasi aquis innatans, tertia demum viridis tertio insignitur cygno, versus dextram stante.

Eodem præstiti homagii die casus accidit omnino mirabilis, neque silentio involvendus, quo cœli magis, quam fortis dispositione ad nomen electi, & omen Confirmati perbenè allusum fuit. Piscator quidam Nattenhusanus, Georgius Jacob nomine, sclopeto suo armatus obambulabat amnem Gynzium, anates trajecturus, cùm subito tres cygnos fluvio innatantes conspicit, aves in ditione nostra nunquam antehac vissas. Exonerat sclopeton piscator, & glande trajicit cygnum, duobus alarum remigio in altum avolantibus. At illicē reversi aquis sepe denuo immittunt, piscator verò globo emissō percutit alterum. Tertius secundò avolans, secundò reversus, tertia præla piscatoris cecidit, qui triplici hoc spolio quasi divite pescium capture latens, cygnos cygneo Praefuli obtulit, largō donatus stipendio.

## §. II.

*Dominicus decorum domus Domini, & gloriam Dei ac  
Sanctorum insigniter promovet.*

Zelum Dominici pro decore domus Dominicæ, & gloria Dei ac Sanctorum descriptu-  
ri, viam ingredimur, cuius exitum non dimetitur oculus, etiam vitreis optici tubi oculis adjutus. Extrà ordinem gradiemur, quia non nisi extraordinaria miramur. Extrà muros tamen pedem primum effremus, ubi satis multa occurunt, laudibus efferenda, post celebratur reliqua, nescio dicam Dominicæ an Dominicanæ Zeli monumen-  
ta, quæ tot in ditione nostra supersunt, ut nulla numeretur Ecclesia, quæ beneficam Dominici non sit experta manum. Veni, vide, & mirare Salomonis æmulum,  
& veritatem, qua de auris dubitat, videbit oculus, palpabit manus. Pavimentum Ecclesiæ nostræ ad trium usque pedum altitudinem elevatum, eleganti mar-  
more stravit, amotisque scannis antiquioribus nova subsellia ad formam modernam elaborata substituit. Altaria B. V. Marie de Monte Carmelo, & S. P. N. Norberti coloribus venustè obduxit, universo templo hac occasione renovato. Supellectilem Sacram ad splendorem usque auxit pretiosis vestibus, integro atque elegantissimo orna-  
tu, Calicibus affabré elaboratis, sex candelabris argenteis non sfernendæ magnitudinis,  
Cruce, thuribulō, Tabulis, ut vocant, Secretis ejusdem metalli & operis artificiosi.  
Sacrarium ipsam dilatavit, effigiatisque è gypso Beatis Sacri Ordinis nostri decoravit,  
suprà Sacrarium erexit oedium privatis primò orationibus, publicis dein laudibus depu-  
tatum, in quo ringente hyeme nocturnæ dicebantur Horæ, unde etiam loco no-  
men

men venit Chori hyemalis. Capitulum Sacristiæ contiguum, quod prius speluncæ formam referebat, decorè instauravit, dejecto antiquo fornice, ampliatum gypso & picturis spectabile reddidit, aramque novam erexit. Ab Ecclesiæ Matrice jam egrediamur ad Ecclesiam Matris Thavmaturgæ in Schiesen, quæ omnem, quo sanctè superbit, decorem debet Dominico, quod testatur Scriptura in Choro Musico hujus Basiliæ ad pedem cuiusdam picturæ, Reverendissimum Abbatem Adalbertum totumque Venerabile Capitulum Roggenburgense Matris propitiæ ad geniculatum referentis, in hæc verba: *Hoc Templum in honorem B. Mariae Majoris Thavmaturgæ maxima à R. mo ac Amplissimo D. S. R. I. Prælato D. Adalberto Exemptæ Canonici Roggenburgensis Abbe annis 1681 & 82. piè movente R. P. Severino Jubilato exstructum, annis verò 1720 & 21 sub R. mo & Ampl. mo D. S. R. I. Prælato D. Dominico præfatae Canonici Abbe Vigilantissimo renovatum, gypsoque ac elegantibus picturis artificiose exornatum est.*

Ecclesiam Tafertshovensem novo recreavit Altari summo honoribus S. Joannis Baptiste facro, gypso insuper & penicillo originem SS. quindecim Auxiliatorum eleganter exprimi fecit. Chorum Ecclesiæ Biberacensis gypso & picturis, aram principem coloribus aurô argentoque immixtis illustravit, quod quidem negotium tanto fervore perfectum, ut in die Dedicationis, 26. Julii numeris suis absolutum fuerit, qua ipsa luce Sacra Particula ex ossibus S. Sebastiani Martyris, qui primarius parochiæ Biberacensis Patronus est, publicæ fidelium venerationi primo exposita fuit. Idem artis beneficium impendit Ecclesiis Breittenthalensi & Ingstadianæ. Sacellum in Unterwisenbach, Capellam verò S. Joanni Nepomuceno quadrantis unius spatio Roggenburgo diffitam in publica via erexit, atque in ea ejusdem S. Martyris, transeuntium precibus honorandi statuam collocavit. Denique Chorum Ecclesiæ Wisenbacensis dejecto fornice gypso picturisque, Ingstadianam aram S. Michaëlis sculptili opere conspicuâ illustravit, hujus quoque turri renovata, & 10. pedibûs altius eductâ. Hæc pro labore dominus Dei fecit Dominicus, jam audire lubeat, quanta egerit, ut devotè statisque temporibus adoretur in Domo sua Deus, & Sanctis in Exuvias & Reliquias debitus deferatur honos.

Magnus Magni Patris Norberti filius primas dedit Deo Eucharistico. Vix aliquot effluxerant anni, cum erecta in honorem Augustissimi Sacramenti Confraternitas vigore cœpisset in Episcopatu Augstantano, ut Deus sub modica panis specie occultatus publicâ magis honoraretur latrâ, conversis etiam animabus aut paganorum aut hæreticorum ad compensandas dein huic Sacratissimo Mysterio illatas injurias, ac tandem ut Confratres non discederent ad vitam alteram, nisi fortium cibo roborati. Triplici huic scopo ut ad amissim responderet Dominicus, fœdus quoddam Eucharisticum instituit, voluitque, ut, quisquis huic amorofo fœderi nomen dare averet, quot annis tria Sacra aut legerent, aut legi curarent, primum, ut debitus ubique cultus Sacramento amoris exhibeat, compensenturque injuriæ; alterum pro defunctis amoroſi hujus pateti; tertium pro felici Paetistarum morte. Præterea constituit, ut singulis annis feria secundâ Dominicam infra Octavam S. P. N. Norberti immediate sub sequente defunctis ex fœdere Officio solemni aliisque privatis Sacrificiis parentaretur. Denique Sacrum, cui S. Norbertus cum hac inscriptione: *Signum fœderis Eucharistici in Roggenburg, ex altera verò parte B. V. Maria Major Thavmurga Schiesensis infusa est, à quolibet Confœderatorum haberi voluit, quibus numismatibus Innocentius Papa XIII. plenarias in quibusdam festis addidit Indulgentias.*

Sanctos quod attinet, crederes, purpuratos Christi Pugiles ad vocem Dominici plerosque Romanis excessisse Catacumbis, ut in nostram migrarent Germaniam. SS. Venantium, Severinam, Laurentiam, Valeriam, & bina Capita Virginum de Societate S. Ursulæ in aris veneratur Roggenburgum: SS. Laurentinum & Paulum honorant Schiesenenses; S. Claudiu Imperiale Monasterium Elchingense laudat propitium. Canonissæ Præmonstratenſes in Cella Dei inferiori propè Herbipolim glorificant alium, alios alii recolunt, Româ à Dominicô procuratos. Adoramus insuper in Ecclesia nostra Guttulam de pretiosissimo Sanguine D. N. J. Christi, Particulam Sanctissimæ Crucis, Clavum, Lanceam, Vultum Dominicum, ab attactis veris Originalibus facros; Spianam denique Dominicæ Capiti impressam. Ut verò singularem reverentiam erga Thefaurum istum non prætereamus, audi, quantâ Dominicus pompa & Solennitate maxima Particulam Sacrosanctæ Crucis & Sacras Severinæ Virginæ Martyris Exuvias Roggenburgi introduxerit.

Dies Solennitati indicta erat 12. Julii anno 1722. Summo manè Particula S. Crucis Crucis ex auro & argento affabré elaboratæ inclusa unâ cum Ossibus Sacris Severinæ veste Romana aurô gemmisque præfulgida induitæ ad locum solenni receptioni depu-

ta-

tatum elata, ibidemque constructo pegnati arboribus undique ad amoenitatem augendam collocatis exornato imposita. Circa horam octavam sonantibus omnibus campanis datum est introductioni initium, laetō bombardarum fremitu animatum. Cum ad triumphale pegma perventum esset, peractis precibus exceptis fuerunt Reliquiae, praenente multo equitatu, intermixtis e vicinia parochianis, qui processionaliter adveniebant, relecta est via. Inter cetera primò à quatuor RR. DD. Parochis portabantur Reliquiae S. Martyris Laurentiae, cistulis suis, in quibus Româ asportatae fuerant inclusæ, sed holofericô velo contecta; has sequebantur Offa S. Martyris Valeriae in cistulis suis pariter adhuc recondita, quibus ferendis humeros suos supposuerunt quatuor RR. PP. Capucini Venerabilis familie Weissenhornensis. Tum visebatur R. mus ac Ampl. mus D. S. R. I. Prælatus D. Dominicus Abbas Roggenburgensis, qui Pontificabilibus indutus ordinarios inter Ministros præcedebat triumphale ferculum S. Martyris Severinæ, cuius sacra Offa in quiescentis formam situmque composita, Romano habitu purpureo, aureis phrygii operis floribus gemmisque distincto induita fulgebant. Demum agmen triumphale cladebat R. mus & Ampl. mus D. S. R. I. Prælatus, D. Josephus, Abbas Urspergensis, qui Pontificali habitu indutus, veram Particulam Dominicæ Crucis portabat. Processione per triumphalem portam, quæ in 41. pedum altitudinem elevata erat, templum ingressa, repositis Sacris Reliquiis, hymnique Ambrosianâ decantato, elegantem non minus quam acutam panegyri pro concione dixit Plurimum Reverendus, Religiosissimus, ac Clarissimus P. Jovita, Venerabilis familie Weissenhornensis Fratrum minorum Capucinorum Guardianus dignissimus. Concionem excepto solenne Officium tubis tympanisque concrepantibus decantatum ab altefato Reverendissimo Abbe Urspergensi, qui data benedictione Abbatiali finem fecit Solennitati, à qua majores Dominico venerunt animi, ut anno mox sequenti eadem pompâ Reliquias SS. Martyrum Laurentiae & Valeriae introduxerit; quin perpetua lege fancivit, ut Fultum SS. Reliquiarum in singulos annos solennissime celebraret Roggenburgum Dominicâ ultima mensis Julii.

Non licet hic præterire insigne beneficium, quod per merita & intercessionem S. Severinæ Deus contulit pueræ Ottoburanæ, etiam antequam ossa sacra publicæ venerationi essent exposita. Erat Josepho Kefler Civi Ottoburano, & Annæ Reifferin uxori triennalis filia, quæ nec pedibus infistere, nec sedere nisi corpore ad instar globi inverso poterat. Malo remedio ubique passim quærebant, sed nullibi reperiebant parentes, esto puellam ad varias beneficiis prope innumeris famigeratissimas imagines deportaverint. Cum autem venerandissima S. Severinæ Offa Ottoburam in domum Joannis Michaëlis Stromayr in arte pingendi acu phrygia celeberrimi essent delata, pueræ Mater cum sua Maria Francisca Josepha (hoc infanti nomen erat) ad ædes Michaëlis semel invisit, filiam coram sacra-tis ossibus in mensa deponit, clam ardentes pro impetrando preces fundit, fiduciâ in merita S. Severinæ maximè animatas. Domum redux pueram imponit mensæ, & ecce! jam sedet erecto corpore, quem filia situm nunquam antea aut pater aut mater videbat. Auxit miraculum utriusque fidem & fiduciam in merita S. Severinæ. Adsunt igitur ambo 17. Maji in domo Michaëlis Stromayr, & accensâ coram Sacris Ossibus Candela, in genua prostrati Deum enixissimè rogam, intervenientibus Sanctæ meritis perficeret opus inceptum. Neque vota frustravit Deus. Puella enim domi rursus mensæ imposta, primù, se movere, dein pedes è mensa dimittere, tandem prima vice, corpore licet inclinato, pedibus insistere. Continuârunt parentes devotionem, consumavit Deus miraculum, dum tertio ab Ossibus S. Martyris reversa domum mater, & relictâ super mensam filiâ, cubiculo excedit, suum curatura negotium. Ubique postlimiò reddit, obstupescens videt pueram non solum scanno insistere, sed absque manus alienæ adminiculo de loco in locum transire. Mater rei novitate attonita vocat maritum, mox etiam convocat amicas & vicinas, ut viderent, quam mirabilia operatus sit Deus ad intercessionem S. Severinæ. Et hoc initium Signorum Sanctæ Martyris fecit Ottoburæ, quod complura alia Roggenburgi sunt subsecuta, prout varia testantur anathemata, propè Altare appensa.

### §. III.

#### *Septimum à fundatione Monasterii Roggenburgensis Sæculum solemnissime celebratur anno 1726.*

Gavisus est gaudio magno valde Simeon ille justus & timoratus, qui vidit in templo JEsum Salvatorem sæculi; ingrediente Sæculo septimo, ex quo Regi Sæculorum immortali

tali consecratum erat Roggenburg, exultavit præ gaudio spiritus Dominici, statuitque majori cum solennitate celebrare sacerdotalē memoriam, quām qua populus olim electus aut sua Scenopegia aut Phase celebravit. Primam splendidissimā festivitatis diem assignavit duodecimam Maji 1726, quā annua Ecclesiæ nostræ Roggenburgensis memoria recutrebat. Atque ut Solennitati novum decus & splendor accederet, Corpus S. Venantii Martyris eodem tempore pretiosè exornatum triumphali processione in Ecclesiam Roggenburgensem introduci voluit. Hunc in finem novis artificiosi operis ex serico immixto tapetibus Sanctuarium instruxit, comparato quoque ingenti pretio integro ornatu, ex rubro serico argenteis per totum floribus amoenè non minus quam splendide variato.

Vesperas pridiè solennes concentu Musico & tubis tympanisque animatas cantavit Reverendissimus Abbas Dominicus. Altera die summo manè absolute Choro resonantibus omnibus campanis hora quinta venerandum Corpus S. Venantii à quatuor Canonice nostræ Sacerdotibus, & Vultus Christi Domini in ferculo alio splendide collocatus à quatuor Fratribus Canonicis ad destinatum pegma, dimidiâ ferè horâ propè villam Schlebuchensem diffitum, & ad leges Opticæ paramonè constructum deferebatur. Horâ sextâ secundum, & mediâ septimâ tertium majori campanâ & bombardarum exonerazione signum ad initium Processionis est datum, quæ sequenti ordine tractuque serpentis in modum quater inflexo per circumiacentem planitiem ad Canonice nostræ Ecclesiam regressa est.

Primus supplicis agminis Dux gallica veste indutus stricto acinace equitabat, quem duo tubicines sequebantur equis insidentes. Tum præcedente tonsore castrensi cum duobus fabris lignariis, Centurio cohortem ducebat præter tympanotribam & Signiferum sedecim demicataphractis compositam. His succedebat Parochia Mefshoviensis, dein Schieffensis, quæ secum vehebat currum triumphalem in octodecim pedum altitudinem exstructum. Sub Baldachino visibatur imago B. V. Mariae Majoris Schieffensis floribus fructibus circumdata, inferius autem SS. Leonardus & Walpurga ejusdem Ecclesiæ Patroni: locum infimum occupabant SS. Paulus & Laurentinus MM cum textu S. Pauli: *Quis nos separabit à charitate Dei, quæ est in Christo (& Matre) Iesu.* Rom. 8. v. 35. sequebantur Consultores Confraternitatis à VII doloribus B. V. M. dictæ cum R. D. Parocho. Hunc immediate excipiebat levis armaturæ turma ex viris quadraginta consistens, qui Hungarico ritu vestiti evaginato gladio decem ordinibus quaterni equitabant. Hussaros insectabatur numerosa Parochia Wiesenbacensis & Ingstdiana cum suo curru triumphali, qui navim in medio mari præsentabat, in qua S. Ursula cum quibusdam Societatis suæ Virginibus sedebat; explicatum mali velum Agnum Dei exhibebat monti insistentem, è cuius pectori Sanguis promanabat, subiecto calice exceptus, inde in duos quasi rivulos dimanans, quorum unus positam ad dextrum montis latus Canoniam Roggenburgensem, alter verò ex sinistro Sacellum Ingstdianum (ubi quondam miraculosa S. Hostia asservabatur, ut suprà retulimus) rigabat. Agno hæc erant adscripta: *ME RIGANTE, ET INCREMENTVM DANTE.* In scheda verò à Canonice nostra ad dictum usque Sacellum protensa hæc legebantur: *PARATA SEDES TVA EX TVNC.* Contraria priori scheda hæc continebat: *A SAECVLO TV ES.* In vexillo Mali: *QVOCVNQUE PERGIS.* In postremo demum puppis explicato velo: *VIRGINES SEQVVNTVR.*

Post hunc S. Ursulæ currum incedebat Senatus Marianus Archi-Confraternitatis SS. Rosarii cum ferculo B. mæ Virginis, quod exceptit Parochia Breittenthalensis cum R. P. Vicario suo. Huic successere duo Israëlitæ portantes uvam, duo Levitæ cum suo Pontifice tubas ductiles inflantes, Rex David cum cythara præcedens Arcam à duobus Levitis portatam, quibus adjuncti gradiebantur octo venatores, qui equis albis insidentes sclopetis transversè collocatis bini equitabant, præeuntibus duobus pueris cum cornibus & canum venaticorum turma; perbellè hac venantium globus ad nomen S. Venantii alludebat. Abraham deinde gladio de vagina educto Isaac ad immolandum in monte deducendum, insequebantur duo Cataphracti milites glaucis equis insidentes, quorum unus Lanceam, alter Titulum Crucis, memorialia Passionis suis quæque Sacris Originalibus Romæ applicata, gestabat. His successit A. R. P. Guardianus Venerabilis Familiae PP. Capucinorum in Weissenhorn, cui crux præferebatur multis floribus & ingeniosis inscriptionibus exornata. Prima facies suprà Crucifixum exhibebat Cygnum aristas in rostro ferentem cum lemmate Scripturistico: *VIVENT TRITICO.* Oseæ 14. v. 8. sub Crucifixo aliud videbatur Cygnus cum hac inscriptione: *A FRVCTV FRVMENTI MVLTIPLICATI.* Ps. 4. v. 8. altera facies objiciebat Sudarium Christi Domini cum cygno & hac epigraphe: *HAEC FORMA PLACEBIT.* Postea ferculum Vultus Christi Domini à quatuor à Venerabili familia Weissenhornensi Patribus Capucinis portabatur, subsequen-

quente in Pontificalibus Reverendissimo Abbe Dominico cum Ministris ordinariis, & Consultoribus Confraternitatis Venerabilis Sacramenti cum ferculo S. P. Norberti.

Biberacenses inter Parochianos medius vehebatur Currus triumphalis amoenissima tempe referens: in nubibus fulgebat Signum S. Crucis, inferius exhibebatur S. Venantius cum hac epigraphe: REQVIESCITE SVB ARBORE. Gen. 18. v. 4. in horto autem quiescebant Tempora Roggenburgensis, quibus genius Canoniae acclamabat: HAC TVTA QVIESCET IN VMBRA.

Parochiam deinde Christertshovensem excepit integra cohors militum, Turcico habitu indutorum, cum tympanis & lituis ejusdem ritus: duodecim ordinibus equitantes ducebat Mustapha flava ferica veste & Turcico diademe coopertus. Turcis proximus ibat Genius Archiconfraternitatis SS. Scapularis & Consultores Mariani cum ferculo B. Virginis, Parochia Tafertshoveni & Obenhusana; post quas à quatuor equis trahebatur triumphalis currus Roggenburgensis, altitudine sua viginti quatuor pedes complexus. In hoc eminens conspiciebatur S. Venantius, Martyrii laurea redimitus, infrà sex elapsa quiescebant Sæcula, Septimum verò & modò fluens genius Roggenburgensis cum hoc Chronologico ad S. Venantium mittebat: post hæc seX MartYRI Venantio Vestros ConfIDite annos. Porro sequebatur Parochia Rennartshovensis & Nattenhusana cum suis A. RR. DD. Parochis, quorum vestigiis instabat caterva triginta & duorum militum, quorum sedecim loricâ galeaque operti, præcedentibus tympanista & tribus tubicinibus, stricto acinace erectisque sclopetis equitabant.

Reverendissimus & Perillustris DD. Joannes Casparus L. B. de Berndorff Civitatis Weissenhornensis Parochus dignissimus cum numerosis suis parochianis præcedebat quintum & ultimum triumphalem currum, à quatuor equis, quibus Caro, Mundus Dæmon, & Ambitio insidebant, vectum; in curru eminebat S. Venantius à Fide, Spe, & Charitate, quarum sub pedibus jacebat Tyrannus cum Sacrificulis, coronatus cum hac Scriptura:

hIs VIctoIosa Vos Debellavit VenantII Mors. Duo deinde genii equitabant Romano ritu vestiti, quorum unus vexillum gestabat, cui inserta ex argento verba erant:

#### S A C R V M C O R P V S S A N C T I V E N A N T I I.

alterius vexillum exhibebat Aquilam lauro & olivæ ramo insidentem. Genios excipiebat Venerabile Collegium Roggenburgense, sequentibus quatuor ephebis cœruleis vestibus hispanico more indutis, & flores gestantibus; tum ab Adm. RR. PP. Prioribus Mädlingensi & Kircheimensi Ordinis S. Dominici & duobus aliis ejusdem Sacri Ordinis Religiosis succollatum videbatur ferculum S. Venantii Martyris, cuius ossa in jacentis & quiescentis formam composita, pretiosa ex holoserico rubro romana veste gemmis & floribus acu phrygia depictis splendide exornata erant; cœlum penfile fructibus floribusque conspicuum & columnis octo innixum Sancto umbraculum præstabat, Angelo in ejus apice hanc inscriptionem ostendente: GLORIA ET HONORE CORONASTI EVM DOMINE. Sacra Ossa comitatus est Reverendissimus & Amplissimus Dominus S. R. I. Prælatus, D. Josephus, Imperialis Canoniae Urspergensis Abbas Vigilantissimus, & Roggenburgensis Ecclesiæ Pater-Abbas dignissimus, Pontificalibus indutus, quem sequebatur Venerabilis Clerus Sæcularis, agmen claudente innumera utriusque sexus hominum multitudine.

Exterior Canoniae nostræ porta magnifico arcu triumphali in quadraginta & unius pedum altitudinem evecto superbiebat, in cuius supremo apice fama ex tuba sua hæc orbi promulgabat verba:

GLORIOSVM NOMEN TVVM IN SAECVLA. Dan. 3.

sub majori, ut appellatur, Cupola resplendescet B. V. Maria in cœlos assunta, una cum Sanctis Augustino & Joanne Baptista hujatis Ecclesiæ Patronis. Paulò inferius in tertio gradu stabat genius Roggenburgensis, & prope illum statua loricata, Fundatores repræsentans, cum hac inscriptione:

VENITE, ET SVB VMBRA MEA REQVIESCITE. Jud. 9. v. 15.

inter quatuor columnas, quibus tota machina fulciebatur, stabat à dextris Astrologus globum cœlestem manu præferens, in quo sex retrò acta Sæcula obversante nube quasi deleta, septimum cum nomine VENANTIVS anagrammaticè conjunctum erat VENIT ANNVS: ad lœvam coronata cernebantur tempora cum hoc gemino versu:

Post Sex dum præsens VENIT ANNVS, sæcula nobis

Aurea ab aurato numero VENANTIVS affert.

his geminæ affixiones ex utraque parte in honorem S. Venantii suspensæ respondebant. Per atrium dispositus uno ordine equitatus Hungaricus in armis stabat.

Tom. VI, Collect. Monast.

N n

Por.

Porta secunda triumphali pariter arcu pyramidibus ex viridi ornata fulgebat, suspensis hinc inde & à Philosophis Roggenburgensibus acuminosè elaboratis emblematis cum epigraphe chronologica:

PHILosophIæ paLæstra Dat Ista RoggenbVrgo reVIVIscentI MVnera.

hinc usque ad Ecclesiæ portam ex uno latere murus interpositis arboribus, paris formæ emblematis, ex altero stabant equites Turcici. Tertia verò porta arcu iterum triumphali, variis emblematis, & hoc dupli Chronologico Sancto Venantio Martyri applaudebat:

VenantI Magne! Verè tibi serVIre CVpientes ne DespICe.

IngreDlentI Coronato Venantio DeVotè appLaVDVnt philosopHI.

Quarta demum eaque in tertio atrio Templi porta, ubi cataphracti substitere, viridi arcu & geminis affixionibus decora sequens exhibuit Chronologicon:

sIt Deo, patRI fVtVrI sæCVLI sæMpIerna LaVs & gratIa.

Solenni hac introductione finita, populōque Ecclesiam ingresso, OfficIa S. Martini Martyris Venantii in ara B. Virginis Einsidensis in hunc finem recens erecta reverenter deposita sunt, Hymnōque Ambrosiano inter tubaruū tympanorūmque aplausus decantato, pro concione super illa verba Hebr. 11. v. 7. *aptavit arcā in salutē domus suā eloquentissimē peroravit Adm. Reverendus, Religiosissimus & Clarissimus D. P. Benedictus Uttenried*, celeberrimi ac Imperialis Collegii Urspergenfis Subprior & Vicarius in Rohr dignissimus. Concionem exceptit Sacrum solenne abs Reverendissimo Abate Urspergenfis decantatum, Mensa, Vesperæ, & demum Fundatio Canoniae Roggenburgensis scenicè exhibita.

Altero die, ut suus quoque Fundatoribus & benefactoribus in tanta festivitate effet honor, illis Officio solenni parendavit Reverendissimus Abbas Dominicus, alio mox Officio à Reverendissimo ac Perillustri DD. Joanne Caspero L. B. de Berndorff, Parochio Weissenhornensi in honorem B. V. Mariæ decantato. Sequentes porrò per Octavam dies solenni singulæ Sacro à RR. DD. Parochis cum agmine suppliæ convolantibus celebratæ sunt. Die Sabbathi solennes denuò Vesperæ sub Conventu Musico tubis ac tympanis animato decantatæ fuerunt. Decimâ nonâ Maji, quæ fuit Octava Sæcularis festivitatis, undecim parœciæ processionaliter advenerunt, Solennitati decus ultimum addituras. Ex ambone sacro non minori eloquentia & fervore dixit Adm. Reverendus, Religiosissimus & Clarissimus D. P. Benedictus Stadelhofer, Imperialis Canonice Rothensis Subprior dignissimus, Notarius Apostolicus publicus, juratus & Romæ immatriculatus, in Psalmi nonagesimi septimi versum primum: *Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit.* Concione finita solenne Officium in Pontificalibus celebravit Rmus, ac Ampl. mus Dominus S. R. I. Prælatus, D. Hermannus, Imperialis Canonice Rothensis Abbas vigilansissimus, Sac. Ord. Premonstratensis per Sueviam, Grysoniam & Alsatiam Vicarius Generalis & Visitator dignissimus. Ac tandem Scena theatalis rursum post Vespertas aperta finem Solennitati.

Parili pompâ & solenni rursum Octava anno 1728. celebravit Abbas Zelofissimus introductionem pretiosissimi Sanguinis D. N. J. Christi. Cui ut etiam futura tempora debitum deferrent honorem, voluit, ut diebus Saturnalitiis & singulis per Quadragesimam Dominicis publicæ adorationi, Feriis autem sextis Particula S. Crucis, exponatur, atque decantato Psalmo: *Deus misereatur nostri &c. ad modulos Musicos voce tamen unisona composito, subjuncta cum versu Salvos fac Servos collecta: Omnipotens sempiterne Deus, mæstorum consolatio &c. dataque benedictione ad pium confluenti populo osculum præbeatur.*

#### §. IV.

### *De ædificiis, aliisque rebus Dominici æconomiam, & Studii Litterarii bonum concernentibus.*

Ætate quidem ultimum, sed mole sua & insigni structurâ primum, quod Patrem habere meruit magnum Dominicum, commemorandum venit ædificium, excipiendo cum decore hospitibus destinatum, cui funditus exstruendo tragicus admodum casus viam & locum fecit. Ingrediente post partum Virginis anno 1732, secunda Januarii, quæ fuit dies Mercurii, omnes & singuli nostræ ditionis opifices cum exteris quoque, qui tribubus nostris adscripti erant, comparere jussi sunt, ut promulgari audirent Cæsareum & Imperiale Decretum complurium errorum & excessuum correctorium.

Quo-

Quoniam verò hyems atrocissima sivebat, solennis promulgatio sub aperto Jove fieri haud potuit; unde convenientibus assignata est aula, quæ insolitum frigus removebat calore, hinc & inde à fornacibus cubicolorum proximè adjacentium per apertas januas egrediente. At ecce! vix Prænobilis D. Josephus Joachimus Clessin J. U. Licentiatus & Supremus Roggenburgensis Monasterii Præfector monitiones quasdam prævias absolverat, cùm edito repente fragore confringitur pavimentum, disiliunt trabes, & ducenti circiter homines unà simulque aguntur præcipites. Densissima pulveris nubes, diem propè suffurata, oculi hebetavit aciem, ut discernere haud potuerit, quo usque tandem deciderint miserri. Sed vox & habitus decidentium mox indicio fuit, casum fuisse aut omnino lethalem, aut certè fatalem. Namque alii facie prodibant intumescente, & multo sanguine perfusa, hi fractis pedibus, disruptis alii protrahebantur lacertis, isti fugientium pedibus. Plus quam lapsu contusi morituri similes edebant genitus, alii aliter vulnerati ejulabant. Paucis: scena erat tragica, cùm Sacerdotes & Choro evocati huic extremam administrarent unctionem, alterius confessioni aures comodarent, alium Sacratissimò Viaticò munirent, alios alio modo possibili consolarentur. Interea tamen, quod singulari miserentis Dei providentiā factum esse cognoscitur, ex tanto decidentium numero nullus drepente obiit, imò post lapsum superstites filiis filiorum narraverunt avi, diem Januarii secundam minus sibi secundam, & vix non vitæ ultimam fuisse. Unus unicus, alienigena & minimè vocatus, paulò post Ombenhusii vitæ excessit.

Hic itaque, ut præfertur, casus viam ædificio stravit, cui circa initium quadragesimæ datum est initium demoliendo turrim, quæ ædificium prius terminaverat, albante ferro à Reverendissimo Abbe Hugone tecta anno 1698. Repertus est hac occasione perantiquus quidam numerus qui ab omnibus videri, sed à nullo explicari potuit, multo minus Litteris Typographicis exprimi poterit.

Quæ signa excipiebant sequentes versus:

Quorū tendit homo, qui vult concendere turrim?

Nititur in cælum totum describere mundum.

in aula verò hæc verba legebantur: 1615. ist das täffer im Saal gemacht worden, durch David Heiss. Muro sequentes inscripti erant versus.

O Decus Austriacum, spes & fidissima quondam

Ecclesiæ, quæ nunc te sine nulla foret.

Multis pulsa locis pietas sincera, fidésque,

Auspiciis redit Carole quinte tuis.

Tu solus poteras gentes frænare superbæ,

Atque rebellantes Imperii proceres.

Ecclesiæ columen nunc Rex est iste Philippus,

Hanc contra hæreticos protegit, atque fovet.

Diversos populos, distincta regna gubernat

Moribus, ingenio, corpore, voce, loco.

Apulus & Calaber, Siculusque, Hispanus &

Infurgunt gentes

Reliqua calce obducta legi amplius non potuerunt.

Dein 27. Maji ædificio novo solenne factum est initium, dum Reverendissimus Abbas Dominicus, Pontificalibus indutus, præsente Perillustri ac Generoso DD. Francisco Volmaro L. B. de Volmar, Domino in Rieden, Scheppach & Wilishausen, Sac. Cæf. ac Reg. Cath. Majest. Excelf. Regimi Superioris Austriae Consiliario actuali primum fundamento lapidem unà cum capsula plumbea, quæ sequentia continebat, in angulo ædificii, ex una parte meridiem, ex altera occidentem respiciente, immisit.

Anno

&

natiVitate DeI - hoMINIs IefV ChristI saLVatorIs nostri, & pastori boni fLVente  
Reverendissimus, & Amplissimus Dominus S. R. I. Prælatus, D.

Dominicus

hoc ædificium è

fVNDAmento reCens eXtr VI CVrAVIt,

ejusque primum lapidem feliciter & solenniter posuit vigesima

septima Mensis Maji

Præsens erat totus fermè Conventus Roggenburgensis, ut sequitur i

- P. R. P. Meinradus Eehalt, Prior.  
 P. R. P. Franciscus Xaverius Hueber, Subprior & Vicarius in Biberach.  
 R. P. Gilbertus Oetschmann, Senior & Vicarius in Nattenhausen.  
 R. P. Petrus Bernhardt, Vicarius in Christertshoven.  
 R. P. Hugo Widemann.  
 R. P. Bonaventura Wörle, Vicarius in Tafertshovén.  
 R. P. Leopoldus Neumayr, Vicarius in Wisenbach.  
 R. P. Udalricus Pöller, Administrator Churwaldensis.  
 R. P. Edmundus Zimmermann, Vicarius in Braitenthal.  
 R. P. Wilhelmus Rainer, Cooperator in Schießen.  
 R. P. Christophorus Kayser, Cellarius.  
 R. P. Joannes Nepomucenus Haller, Culinarius.  
 R. P. Augustinus Brinzingier, Superior in Schießen.  
 R. P. Bernardus Hornung, Vicarius in Ingstetten.  
 R. P. Gerungus Frendel.  
 R. P. Franciscus Holzmann, Concionator in Schießen.  
 R. P. Casparus Geisler, SS. Canonum Professor.  
 R. P. Dominicus Mahler, Vicarius in Messhoven.  
 R. P. Innocentius Weigel, SS. Theologiae Professor primarius.  
 R. P. Balthasar Zeckel, Praeses Confraternitatis SS. Rosarii.  
 R. P. Cœlestinus Jacob, Chori-Regens.  
 R. P. Laurentinus Kollmann, Cantor & Bibliothecarius.  
 R. Jacobus Lacopius Remmeli, Circator.  
 R. P. Severinus Bendel, SS. Theologiae Professor secundarius.  
 R. P. Adrianus Hanckh, Succentor.  
 R. P. Antonius Westenthanner, Sacrista.  
 R. P. Claudius Pannæcker, Professor Inferiorum.  
 R. F. Ludolphus Beckensteiner.  
 R. F. Hermannus Khuen.  
 R. F. Fridericus Baur.  
 R. F. Marianus Mockh.  
 R. F. Benedictus Hofer.  
 R. F. Norbertus Thausean.  
 F. Josephus Krueg.  
 F. Marinus Gros.  
 D. Christianus Widemann Architectus, & filius ejus operis Socius  
 Joannes Widemann.

saLVete bonI, pII posteri & nobIs In æternitate  
 VersantibVS aLIqVanDo plè preCaMInI.

Cæptis ita favit rerum opifex Deus, ut, posteaquam in Vigilia SS. Apostolorum Simonis & Judæ major pars testi fuerat imposta, tandem vigesima prima Novembbris inter consuetas cæremonias manum ultimam fabros murarios & lignarios admovisse viderit. Cubicula sequiores anni quæ gypso quæ picturis affabré illustrarunt.

Quod reliqua concernit ædificia, vel exterior etiam forma authorem prodit Dominicum. Prætorium, quod anno 1716. extrâ portam Canonice nostræ versùs orientem funditus exstruxit, & mole sua & structurâ suâ regulis architectonicis quâm optimè aptatum commendat artificem. Aedes parochiales Wisenbaci, quas vilem antea casam rustici præteriens subsannavit oculus, dignas inquilinò Canonicò restauravit. Anno 1725. novum ædificium quò ad inferiorem contignationem Pistrinæ & Scriniorum ac lanionum Officinis, quò ad superiorem verò hospitum commoditatì destitutum erexit. Anno 1728. æstate ineunte, cùm antiquam domum parochiale Tafertshovii destruxisset, novæ è fundamentis excitandæ initium, finem verò appetente autumno fecit. Hortum Abbatiale eleganti vivario jucundum reddidit; Conventuallem utilissimè ampliavit. Nam murum tribus antiqui operis turribus armatum, qui horito limites posuerat, dejicit, locum cæteroquin declivem, & fruticosum plurima undique advectâ terrâ complanavit, & cum ingenti rei domesticæ emolumento plantis innumerisque & exquisitis arboribus instruxit, quas in circumiacentibus quoque hortis magno numerò plantavit.

At quoniam de emolumento rei domesticæ nobis excidit verbum, illud oraculò confirmabimus, quod in laudem Dominici Reverendissimus (intermedio Caspero) Successor modernus Abbas vigilansissimus, Georgius edidit, videlicet: in œconomia maiorem Dominico nec habuit, nec habebit Roggenburgum. Et sanè quisquis vel finistro,

ut

ut ajunt, oculo relegit, quas pecuniarum summas in Sacra non minus quam profana expenderit: qui novit, quantum intestinis exagitatus fuerit bellis, sumptus non modicos devorantibus, paradoxum credet, quod dicimus, Dominicum ingenti debitorum pondere Roggenburgum liberasse, atque novas, quibus ditesceret, venas aperuisse aureas, in omnem promovendi boni occasionem verè Abbas vigilantissimus.

Restat, ut quadam de studiis delibemus. An plus Apollo suas in Pindo, an Roggenburgenses Dominicus intensius amaverit Musas, problema est. Quamdiu ad Clavum sedit, non tantum singulis annis quosdam ex Religiosis Fratribus in Dilinganā Universitate aluit, sed domesticos quoque inter parietes integrum quasi Athenaeum erexit, dum Rhetoricen, Philosophiam, Jus Pontificium, Theologiam Moralem & Scholasticam Roggenburgi doceri voluit, præcipiendo, ut saepius per annum discipuli publica doctrinæ specimina ederent, quo factum, ut viros nunquam non ad manus videbit, etiam publicâ Cathedra dignissimos. Horum ut stimulos acueret, in coemendis libris nullis pepercit sumptibus, magno suorum emolumento armamentarium Sapientiae novâ eruditissimorum voluminum arinaturâ instruendo. Quod tum præprimis egregie præstítit, quando Bibliothecam integrum nongentis libris copiosam pretio non modico comparavit, ut limpidissimas scientiarum undas ex fontibus defœcatissimis haurire posset Musophilus.

## §. V.

*Mors & Exequiae Dominici.*

Multa diximus, plura omisimus, quæ ad insignem Canoniæ nostræ splendorem, immortale decus, & maximam utilitatem non minus laudabilissimè, quam pro sua in agendis dexteritate planè mirè felicissimè præstítit Dominicus, plura haud dubiè superadditurus, nisi mors ultima linea rerum lineam agendorum jamjam inchoatam rupisset. Crederes, mortem ipsam in talem tantumque Præsulem fuisse officiosam. Ut enim nemine quid opinante in Abbatiam non irrumperet, fores antea pulsavit lenta hydropisi. Hac igitur, salute Medicorum judicio desperata, per integrum ferè bimestre decumbens, 24. Februarii die, qua fors in Mathiam cecidit, Cygnus noster Roggenburgensis lessum cecinit ex canto nobis duro, quos sine Patre reliquit orphanos, sibi molli dum è procellosis hujus mundi vadis ad littus perpetuae felicitatis enatavit. Marentes Filii, ut Patri suo amantissimo affectum vel post fata deferrent, non minus splendidè, quam ingeniosè parentarunt. Castrum doloris magnis sumtibus erectum, & tanto Præsule dignum, filialis amoris erat mnemosynon. Duodecim Symbola hinc inde funestas inter tœdas pendentia placidissimum Reverendissimi Capitis adumbrabant obitum. Placet singula hæc adducere, ut vel sic in posterorum animis vivat longiori vitæ stamine dignissimus Abbas Dominicus.

*Symbolum primum*

Repræsentabat Pelicanum pullis assistentibus proprium Sanguinem dispensando emorientem, cum lemmate:

ET T' LVX oCVLIs hoDIerna noVISSIMa nostris.

Ovid. Heroid. epist. 9.

Lux fueras nobis, Præful, clarissima vitae,

Lux pietatis eras, Lux probitatis eras.

Et Tu Lux oculis hodie sis ultima nostris?

Plangite! nox luætus, luce cadente, venit.

*Symbolum secundum.*

S. Angelus Custos moribundum Reverendissimum ad cœlos invitans.

*Lemma.*

PROPERES ASCENDERE CAELVM. Statius. Sylv. 4.

Spiritus è cœlo est, de vili corpora terra:

Illum redde polo, corpora redde solo.

Eja! beate Cliens! properes ascendere cœlum,

Mens tua, quæ semper sueverat ire, volet;

*Symbolum tertium.*

**Cor cum alis Cygneis ad cælum avolans.**

*Lemma.*

**DEO MELIORA COHAERENT PECTORA.** Stat. Sylv. 2.  
 Jam mea jam pennis imitentur pectora Cygni,  
   Ad cælum, cui sunt nata, volare decet.  
**Terra vale!** de te non omnia membra recepi,  
   Hinc neque debentur singula membra tibi.  
**Est singillatim qui finxit corda,** Magister:  
   Hæc capiat. Tibi do corpus, habesque satis.  
**Accipe, Magne Deus!** tibi nam *meliora cohærent*  
   Pectora; scuteris, sunt tua corda Deus.

*Symbolum quartum.*

**Syodus, Cygnus dictum, innatans Eridano, ad quod Cygnus,**  
 Reverendissimi symbolum, avolat.

*Lemma.**SIC SIMILIS SIMILI.*

**Cygnus erat Præful,** Cygnos in scuta vocabat,  
   Temporibus cygnus, pectore cygnus erat.  
**Hinc meritò, postquam lacrymarum valle natavit,**  
   Transit in Eridanum, flumina læta bibit.

*Symbolum quintum.*

**S. Angelus Custos animam piissimè defuncti ad cælos deducens.**

*Lemma.*

**LOCVM DATE SACRA FERENTI.** Ovid. ex pont. L. I. ep. I.  
 Sacra fero, Superi! vestras attollite portas,  
   Ipsa Clientis adest mens animosa mei.  
 Mens, quæ sacra tulit sacram Mytrámque Pedúmque,  
   Mens sacrata aris; mens quoque Sacra Deo.  
 Mens igitur sacri sacrata palatia regni  
   Cernere (ne Sacri spernите) digna venit.  
 Digna venit (modò ferte) locum date Sacra ferenti;  
   Reliquis Sacris nam dedit ipse locum.

*Symbolum Sextum.*

Hirundines avolantes, & in campo militum exercitus.  
 Seu Reverendissimus tempore belli mortuus.

*Lemma.*

**PLACIDAE - PACIS AMATOR.** Ovid. L. 2. eleg. 6.  
 Deserit oppressos malè fausto Marte penates,  
   Bellonā trepidas linquit hirundo plagas.  
 Tu terras, Præful, quam terrent bella, relinquis:  
   Nimirum placide pacis amator eras.  
 In terram pergis, quam pacis Amator & Auctor,  
   Pectore quam mundi, pacificique tenent.  
 Hanc, Venerande Pater! pacem tibi poscimus omnes,  
   Quam neque bella dabunt, quam neque mundus habet.

*Symbolum Septimum.*

Christus patiens in Cruce, qui mortem ex voluntate Patris Divini  
 obire voluit: seu Reverendissimus in Divinam voluntatem resignatus.

*Lemma.*

**PATRIVM VECTIGAL SOLVERE GAVDET.** Claudian. in Stilic. paneg. 2.  
 Indissolubili stat mors & fodere vita,  
   Qui nasci mandat, mandat & ipse mori.  
 Hoc mea, Christe! Salus, nôras hoc, optime Præful!  
   Inde mori lucrum est, & Tibi dulce mori.  
 Hinc ambo Patrium vectigal solvere gaudent,  
   Regia Cælorum quo fine clausa via est.

Sym-

*Symbolum octavum.*

Navis in portu recepta.

*Lemma.*

**F**LAVIT VELIS AVRA SECUNDA MEIS. Ovid. de Pont. L. 2.  
 Dum sumus in mundo, dubiis jactamur ab undis;  
 O quot in his undis jam perierte rates.  
**T**u, Pater! in portu es, ponto subducta carina,  
 Nam flavit velis aura secunda tuis.  
**C**rux tibi malus erat, Spes anchora, Stella Maria,  
 Prora fides, velis ætherea aura fuit.

*Symbolum nonum.*

Statua Solis, seu Colossus Rhodius per terræ motum dejectus.

*Lemma.*

**Q**VEMQUE NEGES VNQVAM POSSE, IACERE, IACET. Ovid. de Pon. L. 1, eleg. 9.  
 Quis duo posse putet sterni miracula mundi,  
 Inde decus Statuae, Præfulis inde decus?  
 Et tamen hoc motus, mors hoc prostraverat: eheu!  
 Quosque neges unquam posse jacere, jacet.  
 Ambo jacent; Præfulsurget redivivus, at illa  
 Ægypti nunquam gloria surget humo.

*Symbolum decimum.*

Sol in occasum vergens cum tenebris superficiem terræ tegentibus:  
 Seu luctus Imperialis Canoniae Roggenburgensis ex obitu Reverendissimi.

*Lemma.*

**S**OLIS AD OCCASVM. Virg. Georg. L. 3.  
 Majores veniunt altis de montibus umbræ,  
 Quando soli fines Sol moriture legis.  
 Jure tenent vultus & tristes ora tenebræ,  
 Dum meus è vita Sol venerandus abit.

*Symbolum undecimum.*

Adamas in mensa tapetibus strata: seu dotes Reverendissimi piè defuncti.

*Lemma.*

**S**VNT MIHI BIS SEPTEM PRAESTANTI CORPORE. Virg. Æneid. 3.  
 Est Adamas clarus, medicus, pretiosus, amœnus,  
 Perpetuus, præstans, intaminatus idem.  
 Condecorat Cydarim, Sceptrum, digitos, loculósque,  
 Æra, rogos spernit, vitrificusque manet.  
 Magnus erat Præful, Charus, fortisque, probusque,  
 Clarus, Magnanimus, Munificusque fuit.  
 Justus, amœnus idem, fervens pietate, Modestus,  
 Fæcundus Sophiâ, Religione, Deo.  
 En! tibi bis septem præstantia munera Patris,  
 Præfule digna, simul munera digna polo.

*Symbolum duodecimum.*

Cœlites in gloria, quos inter medius exultat Dominici Spiritus.

*Lemma.*

**C**AELOQVE EXAMINA LVDVNT. Virg. Georg. Lib. 4.  
 Plaudite Cœlicolæ (mortali plangere fas est)  
 Præful adestr, vestras dignus adire Domos.  
 Incola sit vester, sit Civis Præful, & Hospes,  
 Qui meritis propè par, par sit & ipse locô.  
 Audimur: plaudunt, cœloque examina ludunt,  
 Et quem terra gemit, gaudet habere polus.

Et sic quidem circâ funebrem apparatum orbati Patre filii canebant; aliam verò  
 vitæ, laudumque epitomen ad Confœderatos scripserunt, hiscè verbis conceptam.

Cecidit Sors. Act. 1. v. 26.

Fatalis demum jacta est alea, Colendissimi DD. Confœderati! fortis non minus,  
 quam mortis solitum, ac terribile Instrumentum: jacta est, & missa fors in urnam,  
 & ollam, unde mors sola distribueret fortis: jacta est, dum crudelis ille humani gene-  
 ris latro, qui æquo pede Regum non minus principumque aulas, quam viles rustico-

O o 2

rum,

rum casas percurrit, 24. nimirum Februarii, die S. Apostolo Mathiae sacra in Imperiale nostram Canoniam Roggenburgensem irrepit, ibique urnam adoravit infelicitam; & pro dolor! cecidit fors super Reverendissimum ac Amplissimum Dominum S. R. I. Prælatum, D. Dominicum, Imperialis & Candidæ nostræ Canonice Roggenburgensis Abbatem Vigilantissimum, antiquarum Ecclesiarum S. Lucii & Churwaldensis in Rhœtia Patrem-Abbatem dignissimum, cui Medici paulò ante ingemuerant illud Mors in olla; fors in mortem, cuique lacrymæ ac singultus filiorum adhucdum parentant luctuosissimè. Erat is patria Stoffenriedensis, ibidemque anno 1675, 13. Martii in mundum natus, cui tamen expletis in Celeberrimo ac Imperiali Monasterio Elchingensi humanioribus studiis per Professionem Religiosam in Imperiali Canonia nostra Roggenburgensi anno 1694, 11. Julii solenniter editam generosè valedixit; annus postea 1699, 29. Aprilis eundem à studiis Dilinganis reducem, postquam ibidem Majori Congregationi Academicæ unanimi calculo preficiebatur, Neo-Mystam vidit. Tum Professoris Philosophiae, Theologiae, & SS. Canonum vices dextrè non minus, ac strenuè subiit. Cum demum Subprioris, Granarii, Administratoris Churwaldensis, Benedurensis, ac Cellarii Officio ad omnium vota defunctus esset, anno 1713, 5. Decembris fors in urnam missa est, & cecidit super Dominicum, cum ipso præstiti homagii die capti tres cygni hinc locorum nunquam hactenus visi mirabiliter, at luculenter alluserunt, fortis indicium optimæ. Cum in sequenti anno 1714, 14. Januarii solenniter in Abbatem inauguratus esset, optimam sortem infuscatus à Jove principium fecit, & Ecclesiam nostram Roggenburgensem ex antiqua in novam transformavit. In sequentibus annis Sacrum Thesaurum sex argenteis candelabris, ac argentea Crucifixi Salvatoris nostri imagine affabré elaboratæ pro eximio in templo Zelo augmentavit, calicib⁹ argenteis, casulis, aliisque paramentis mirandō planè numerō adjectis. Nec intrà Canonice nostræ terminos zelosa in Deum Sanctosque pietas contineri potuit, quin potius has angustias transgressa in universas territorij nostri Ecclesiæ, Sacellaque se diffudit abundè. Templum B. & Thavmaturgæ Virginis in Schießen, Sacellum S. Wendelini in Schlebuch, Ecclesia Tafertshovenensis, Ingstettensis, Breittenthalensis Biberacensis, partim prolongatae, omnes verò ejus operā gypso artificiosè elaboratō, picturisque distincto exornatæ resplenderunt. Ecclesiam nostram Roggenburgensem pretiosissimo thesauro SS. Sanguinis D. N. J. C. Particulæ S. Crucis, & quatuor Sacris ut vocant, Corporibus SS. Severinæ, Laurentiæ, Valeriae, Venantii MM. nomine proprio, Schießensem verò SS. MM. Pauli & Laurentini insignem fecit, prateritis aliis plurimis vicinis Ecclesiæ, quibus de simili providit thesauro. Fundator quoque extitit Paeti Evcharistici in honorem venerabilis Sacramenti, cujus adeò zelosus erat Cultor, ut in profunda SS. huic Sacramento debitæ reverentiæ deficiente quoscumque quantocyūs corriperet. Oeconomus uti erat peritissimus, ita Canoniam sibi conceditam ære alieno liberavit, labentia restauravit, hortis, arboribus, agrisque augmentavit, & gemino inter hæc ædificiò decoravit. Studiorum ac scientiarum, quibus acquirendis omnem occasionem suppeditaverat, Evergeta zelosissimus. Post hæc tot, & tanta, cùm fors in mortem apparuisse, compositis omnibus, quæ ad longum æternitatis iter conducibilia optimè noverat, intrepido, & in voluntatem Divinam eximiè resignatō animō mortem expectavit, cum omnium ædificatione, & lacrymis, veniam ab unoquoque rogavit, Sacro singulis diebus propè lectum mortualem celebrato, devotissime audito, Sacro Viatico quotidie refici voluit, usque dum morbus & eructatio sanctissimum ejusdem usum, ultimo duntaxat die, illi inhibuit. Mirabile auditu est, quod hac occasione accidit; cùm enim die Sabbathi sacrum Viaticum receperit, sequenti verò Sabbatho extrema Unctione ad ultimam luctam dispositus fuisset, in has prorupit voces: *Die Sabbathi Sacrum Viaticum, die Sabbathi extremam accepi unctionem, dies Sabbathi quoque me in Sepulchro constituet.* Quod mirabili quadam modo eventus comprobavit. Die enim S. Apostolo Mathiae sacra paulò ante horam tertiam vocatus est ad urnam, & cecidit fors, quam cuiilibet mortalium, Reverendissimo autem Patri nostro per hydropisim dictâ horâ destinavit mors. Sed qualis tandem hæc erit Sors? Concludimus cùm Isaia c. 57. v. 6. pars tua hæc fors tua. Si pars bona igitur fors bona: si optima, ut audivimus, fors optima: fors quidem in mortem, sed simul haud dubiè & sortem inter Santos actor. 26. v. 18. Quòd si Colendissimi DD. Confœderati fors hæc optima non esset, & rigorosa Divina Justitia, quæ immunditiam ferre non poterit, sortem inter Santos ad tempus fortè negasset, junctis nobiscum ex fœdere viribus meliorem, imò optimam redite, ut purpureo immaculati Agni Sanguine ad sortem promoteatur hæreditatis æternæ, quod nos in simili sorte (quam quidem seram, attamen felicissimum vobis precamur) reciprocis officiis demereri intermittemus minimè.

Depositus porrò à Reverendissimo D. Joanne Evangelista, Abbe Urspergensi, die, quam cantu vix non propheticō præcinctu, 26. Februarii, quiescit non ad Caystri,

Caystri , Lydiæ fluminis , ripam , sed proximè ad immensum gratiarum pèlagus , SS. Christi Sanguinem , coram Altari SS. Crucis in medio . Lapis sepulchralis , quem quadrienniò ante mortem confici curavit , & lecticæ , in qua dormire solebat , supposuit , non alium in finem , quām ut concendens lectum lethum cogitaret , hæc habet .

Hæc Domus mea est ,  
In quam translatus sum  
die 26. Mensis Februarii  
Anno MDCCXXXV.  
Et hic computrescam .  
Sed animam consigno meam  
JESU Christo Salvatori meo  
Ejusdem pretioso Sanguine  
Redemptam .  
D. A. R.

## §. VI.

*Annotationes.*

**S**ub felicissimo Dominici nostri regimine suam quoque fortem mutavit Canonica Sancti Lucensis . Nam Administratorum nominis pertœsa ex indulto Clementis Papæ XI , Infulam rursus imposuit Miloni Rieger , Canonico Roggenburgensi , & pro tunc Administratori ad S. Lucium , qui Mitram cum Pedo post novennium repentina morte decebens cessit

Mariano Heiss . Is patriâ Bairfridensis ex ditione Urspergensi , primò Roggenburgi professus , & SS. Theologiæ Professor , dein ad S. Lucium missus , huic Monasterio per Professionem se anno 1718. mancipavit . In Abbatem eligitur 1726 , die 18. Septembris , electioni præsidente Reverendissimo DD. Dominicano . Præterea actum hunc præsentiâ suâ condecorare dignatus est Reverendissimus & Illustrissimus DD. Ambrofius , Abbas & Princeps Babariensis , Ordinis S. Benedicti . Neo - electus tribus illicò Novitiis numerum suorum auxit , tantus Studiorum amator , ut etiam Abbatiali dignitate resurgens , Theologiam docuerit , Theses publicas Reverendissimis Circariæ Suevicæ Prælatis dedicatas sub ejus præsidio defendantibus Plur. RR. PP. Udalrico Starzer Prio- re , Norberto Kauffmann , Philosophia Professore , & Augustino Leütter Circatore , obiit anno 1731. die 19. Decembris , electo in ejus locum

Macario Mesmer , itidem Canonico Roggenburgensi , & postea ad S. Lucium professo .

Anno 1726. Wisenbaci erecta est quædam Confraternitas sub titulo SS. Rosarii & S. Blasii pro consequendo felici transitu ex hac vita ; postmodum à Benedicto XIII Pontifice Maximo approbata , variisque Indulgentiis locupletata . Præcipua Confraternitatis obligatio in eo consistit , ut singulis diebus Dominicis & festis Rosario in Ecclesia Confraternitatis intersint , aut impediti privatim domi recitent ad eam intentionem ; ut membro proximè morituro felix obveniat mortis hora .

Anno 1728. Benedictus XIII speciales Indulgentias concessit his verbis se invicem salutantibus : *Laudetur JESUS Christus : & responso , Amen &c.*

Quām sint mirabiles , nulloque penetrandi ingenio fulminis effectus , suo etiam modo Ecclesia Schieffensis vidit . Nam 5. Junii 1732. exorta subito tempestate fulminis iætus ingenti cùm fragore per turrim in Ecclesiam , inde aperto per gradum lapi- deum foramine unius digiti sursum evolans in aræ Dolorosæ Virginis cœruleum columnæ colorem abstergit , & mille quasi venis distinxit , tum adusto Scuto deletisque aureis litteris , sex in muro foramina effregit , atque citræ damnum aliud in auras abiit . Ingstadii verò sub eadem tempestate fulmen rustici cujusdam ædibus illapsum , cribrum è muro pendulum accedit , fragor autem mox infecitus ignem denuò extinxit .

## CAPUT XXI.

**Casparus Geisler, Abbas XXI. Vicarius Generalis & Visitator, R.<sup>mi</sup> S. R. I. Prælatorum Collegii in Circulo Suevico Con-Director.**

## §. I.

*Caspari natales, Studia, & Officia.*

**S**olem oriturum galli prænuntiat cantus: Stellam, non errantem, sed fixam, in hemisphærio nostro Roggenburgensi pleno jubare exorituram Cygni indicavit Iesius. Ore jamjam morituro Dominicus reviviscentem nobis omnem felicitatem vaticinatus est, si Casparus ad Abbatalem dignitatem eveneret. Vaticinii veritatem probavit eventus, dum nunquam non felicissimi fuimus, quamdiu Casparus præfuit. Ex honestis parentibus Augustæ Vindelicorum 24. Aprilis anno 1697. natus, à baptisterio nomen Georgii Philippi tulit. Augustam in angusto sed pulcherrimo corpore animam prima mox prodidit adolescentia: unde litterarum studiis sub directione Patrum Societatis JEsu applicatus humaniora, ad omnem factus humanitatem, ea cum laude absolvit in urbe patria, ut primas semper omnibus rapuerit, nulli secundus. Logicæ spina, quam imperterrita pede calcavit, spinam dorsi nequaquam fregit. At cum in Physicis curiosior sublunaria lustrat oculus, in amorem emollescit animus, Lunæ pulchritudine captus. Nec mente captum quispiam vidit, totus esto fuerit lunaticus, nempe tenerimus Mariæ, quæ pulchra ut Luna dicitur, amator. Cui ut totum se consecraret, Marianum Roggenburgi Ordinem præ cæteris elegit. Admissus nihil unquam remissius egit, lacteam Ordinis Præmonstratensis viam sic decurrens, ut magnos semper passus, nullum verò extrâ viam fecerit. Emenso vix tyrocinio Dilingam ad Studia missus, philosophicum inoffenso pede labyrinthum egressus est, Ariadne Mariæ, cuius effigiem Theses publicæ exprimebant, filum porrigente. Theologicum postea ingressus stadium, eos in Divino hoc studio progressus fecit, ut abstergo demum glorioso quadriennii pulvere, redimitus tempora lauro Theologiæ & Juris Pontificii, domum regressus fuerit. Ibi primò magnus Rhetor benè dicere, major Philosophus melius discurrere, maximus Theologus optimè Divina sapere, excellens Canonista ad Canonum leges Canonicos vivere docuit. Sic in Cathedris ferè semper sedens, nunquam superiori inter suos loco stare visus est. Nimurum humiliter subesse didicit, ut quondam majori cum gloria præcesset. Notarius Sacrae Sedis publicus, juratus, Romæ immatriculatus, & Cancellariae Officialis sic in omnes officiosus erat, ut tamen ea, quæ sui Officii fuerant, non negligeret, justitiæ tenacissimus. Inde ad curam animarum expofitus, Pastorem, non mercenarium, egit in Schiessen zelosissimum, sua non defraudatus mercede, eaque tam opima, ut majorem Casparus expectare, Roggenburgum Casparo dare haud potuerit. Quod mox patebit.

## §. II.

*Casparus in Abbatem eligitur, deputatur ad Capitulum Generale, creatur Vicarius & Visitator.*

**D**um Sors in mortem cecidit super Dominicum, hydropisi 24. Februarii succubenter, penè dixissim, sorti sua commississe vota Roggenburgenses, novum electuros Abbatem. Ut enim lœta & secunda foret electio, Feriam secundam post Dominicam *Lætare* actui solenni destinaverunt. Patrem expectantes gratiosum, die Joachimo, qui nuptus erat Gratiae, sacra de Sponso Ecclesiæ viduatæ statuerunt providere. Ut æquo in omnes animo Præsul eligeretur, fortis miserunt in urnam ipso die, quo diei noctisque spatia in æquilibrio pendebant suspensa. Et ecce! dum omnes suspensi adstant, quis eorum esset major, lœtam, secundam & æquissimam gaudent successisse electionem, dum, ut succederet Dominico, sors cecidit super Casparum, de quo non nisi secunda sibi ominabantur electores, quia ex Compromissariis secundus vigesimæ secunda Martii electus est in Abbatem. Solus ferè & unicus tristabatur Casparus, perorantes etiam inter lacrymas virium causatus debilitatem, atque de genibus rogando,

ut

ut in alium hoc formidandum transferretur onus. Sed persuasit nihil, quia scilicet sola pro concione dixit humilitas, quam presso semper pede sequitur exaltatio. Sanctitatis amictum, seu Vestes Pontificales, neo-electo illa ipsa dedit dies, quæ primâ olim innocentiae stolâ vestivit, nempe 24. Aprilis.

Cum dein anno 1738. Mense Januario Amplissimi Circariæ Suevicæ Patres Sorethi convenissent, consultaturi, quem ad Comitia Ordinis ab Illustrissimo Generali indicta, & Præmonstrati in Galliis celebranda Commissarium mitterent, votorum pluralitas elegit Casparum nostrum. Quare disponendis gnaviter dispositis, Canonicis filiis coram exposito Sacratissimo Sanguine D. N. J. Christi, consonante Organo majori, Itinerarium decantantibus, & P. Priore consuetas Collectas subjungente, Feriâ tertâ post Dominicam in Albis rhedam horis pomeridianis concendit, Elchingam illo die delatus, altero autem manè viam per postas Præmonstratum prosecutus.

Archimandritam totius Canonici Ordinis nostri tunc agebat Claudio Honoratus Lucas de Muin, Doctor Sorbonicus, Regi Christianissimo à Sanctioribus Consiliis & Eleemosynis, Vir undequaque laudatissimus, facilis acutique ingenii, ornatæ ac profundissimæ doctrinæ. Hujus ita mox animum rapuit Casparus, ut semel dicentem audierit: *Tu es homo valde amabilis, tu eris meus Vicarius.* Et verò in prima statim Comitiorum Sessione nominavit Definitem, atque maximi momenti negotia commisit endanda. Cum autem pro demandati à Reverendissimis Sueviæ Abbatibus Officii sui ratione semel in Confessu publico pro solenni B. Hermanni Josephi Canonizatione peroraret, non quidem surdis cantavit fabulam, Gallis tamen locutus est græca, unde & dixerunt: *date pecunias, & habebitis Sanctos.* Quasi dicerent: nos sub Abbatibus commendatiis vix habemus ossa, quæ fodamus, quomodo preciosam Sacrorum Ossium Canonizationem somniabimus? demum in Sessione duodecima Vicarius Generalis & Visitator per Sueviam, Aifatiā, & Grysoniam renuntiatus est.

Reducem à Comitiis Generalibus Patrem amantissimum multo filialis amoris & reverentiae affectu exceperimus ad exteriorem Monasterii portam, ubi R. P. Prior medius inter Diaconum & Subdiaconum, adstante toto Venerabili Conventu, breviter felicissimum è regione longinqua redditum aggratulatus est. Descendentem postea è curru inter latos bombardarum fremitus, clangentibus tubis ac tympanis, consonantibus turris utriusque campanis, ad Ecclesiam deduximus, decantato ibidem in gratiarum actionem SS. Ambrosii & Augustini Hymno. Paucis post diebus in eleganti admodum Dramate Musico Sponsa in hortis aromatum anxiè quæsitum, feliciter inventum exceptit Sponsum, opportune sub id temporis adveniente Reverendissimo D. Hermanno, Abbe Rothensi, ut suo in Officio Vicarii Generalis Successori Cassam Provinciæ extraderet.

Ut verò abundantiū muneri suo satisfaceret, anno 1739. ad diem 7. Junii Capitulum Provinciale, Roggenburgi celebrandum indixit. Pridiè igitur ad aedes nostras appulerunt Reverendissimi Abbates, Joannes Evangelista, Abbas Urspergensis cum R. P. Adriano Lehner Priore: DD. Ignatius, Abbas Rothensis, cum R. P. Hieronymo Richter Priore: DD. Antonius, Abbas Minoraugiensis, cum R. P. Joanne Chrysostomo Göttling Priore: DD. Siardus, Abbas Sorethanus, cum R. P. Benedicto Mezler Priore: DD. Udalricus, Abbas Marchtallenfis, cum R. P. Edmundo Sartor Priore: nomine Reverendissimi Abbatis Sancti Lucensis RR. PP. Udalricus Starzer Prior, & Augustinus Leütter: Reverendissimi Abbates Sanctorenfis & Bellelagiensis ne quidem per Commissarios comparuerunt, quod cæteri Patres Amplissimi ægerrimè tulierunt. In ipso dein Capitulo leges sanctissimæ juxta ac utilissimæ sunt late, quibus similes in privatis Visitationibus condidit Vicarius pro decore Ordinis, & augmento Religionis Zelosissimus, ut propterea illius Encomiasten egerit in suis litteris ipsem et Illustrissimus Generalis.

Alia porrò sunt, quæ vicariante Reverendissimo Caspero contigerunt, memoria posteriorum dignissima. Die 21. Octobris anno 1751. obiit, & abiit meritis ac Ecclesiæ dignitatibus insignis Purpuratus Præful, Candidorum Præmonstratenium Protector, Eminentissimus ac Reverendissimus S. R. E. Cardinalis Hannibal Albani, ætatis suæ anno 64. Non omisit pro Officii sui ratione tristem hunc casum & occasum per litteras sub initium Februarii datas insinuaré Reverendissimo D. Præfuli nostro, utpote Circariæ Præfidi, D. Procurator Generalis Nicolaus Mayers; dolorem verò & curas Provinciæ ut mitigaret, lætum in iisdem adjunxit nuntium, exempti videlicet Ordinis nostri Protectorum & Sanctissimo Benedicto Papa XIV clementissimè collatum esse Eminentissimo Cardinali Alexandro Albani, defuncti Protectoris Fratri. Suum proin ut testaretur affectum, & tanto Principi debitos deferret honores ac reverentiam Provincia Suevica, collectis præviè Reverendissimorum Abbatum calculis, in eam itum est sententiam, ut Eminentissimo D. Protectori duo equi Hollandici (donum amplissimi Abbatis

Sanct. Lucensis iudicio gratissimum) offerrentur in submissæ devotionis testimonium. Placuit R.mo D. Procuratori prompta hæc Provincie sinceratio, atque ut accelerarentur litteræ cambiales pro coëmendo futuro honorario, tum opportunè Romæ adventante equorum batavorum mercatore, per litteras institit. Verùm mutatus est paulò post Procuratoris animus, ubi per amicissimum quemdam intellectus, Eminentissimum D. Protectorem in statuam marmoream nimiùm quantum esse affectum. Nuntiavit hoc quantocylis Reverendissimo nostro sèpè memoratus D. Procurator, cum addito, è re fore, si statua hæc à Reverendissimo Abbatum Collegio designaretur pro honorario. Justa videbatur singulis petitio; decreta proin unanimiter novæ Dignitatis gratulatio, & in ea Statuæ oblatio. Conceptus Litterarum, quas Reverendissimus noster, tanquam Vicarius Generalis, ad Eminentissimum D. Protectorem misit, erat sequentis temporis:

Eminentissime, ac Reverendissime S. R. E. Cardinalis,  
utriusque Sac. Cæf. Majestatis, nec non totius Ordinis Præmonstrat.

Protector longè Dignissime, Dne. Dne. ac Patrone Clementissime!

Justo dolore contabuisset totus Ordo Præmonstratensis, maximè verò Alma Sueviae Circaria ex obitu Eminentissimi ac Reverendissimi S. R. E. Cardinalis Hannibal Alabani, nisi in spem novam eamque floridissimam erectus fuisset nuntiò lètissimò, quo intelleximus per Procuratorem nostrum Generalem, abs SS.mo DD. Nostro Benedicto XIV, meritorum uti Censore, ita remuneratore æquissimo, Eminentissimam Dignitatem Vestram vélut fraternal virtutum, ita & Officiorum sublimissimorum dignissimum hæredem, in altefati Defuncti locum & vices substitutam fuisse. Gratulamur ea propter nobis hanc Summi Pontificis ergà totum Ordinem verè Paternam curam, & gratiam. Gaudemus gaudio magno valde, sortes, fortunam, & emolumen-  
tum omne positum fuisse in manus ter gratioas Eminentiae Vestrae. Et verò quid ni gratulemur? quid ni gaudeamus, & prospera cuncta ominem nobis sub tam glorio-  
fo Protectore, qui, sicut Illusterrimorum & tam sagò quam togā, quin & gestis & gubernatis D. Petri Clavibüs conspicuorum Proavorum haud degener existit surculus; sic propria sua virtute, scientiis, & multifariis meritorum generibus tantundem se se suprà alios extulit, ut jam apud Urbinate Doctoratus Laurea condecoratus, jam Hu-  
moristarum Academæ Caput electus, jam Pontificiorum Memorialium Expeditor fa-  
etus, denique Aulæ Imperatoriæ Viennensis Nuntius renuntiatus, rerum agendarum dexteritate, ac sapientiâ ultrâ etatem maturâ, summa cum laude, ac totius orbis, & Urbis admiratione arduis muneribus satisfecerit undeaque, ita quidem, ut promovente ipso Imperatore Vestris præclaris, Eminentissime Princeps, dotibus capto, Purpuram, in meritorum, laborum, ac avitæ virtutis præmium retulerit, summo Romanorum, Albanæ Domus, & Urbinatum applausu, omne haud vano, ut, qui tam teneris annis purpuram est meritus, in provectioni etate gloriosissimi Patrui Cle-  
mentis XI, felicis recordationis, Solium suffragante Sapientiâ sperare possit. Ecce Eminentissime Princeps, Cardinalis Reverendissime, hæc sunt limpidissimi gaudii argu-  
menta, hæc nostræ interne lètitiae scaturigines, hæc firmissima fiducia nostræ admini-  
cula, ut supplices pedibus Vestris nihil reformidemus, demississimè rogantes, dignetur potentissimo suo Patrocinio, valenti intercessione, gratiarumque suarum umbellâ sicut totum Ordinem, ita nominatim, & in specie Circariam Suevicam protegere, fove-  
re, atque complecti. Dum porrò reverentia, filialis ac debitæ submissionis homagium hac prima vice Eminentissimæ Dignitati Vestrae dicimus, simul limpidissimum te-  
nerrimæ devotionis nostræ, ac gratitudinis testimonium dono offerimus Apollinis statuam, Phydæ manu ex candido marmore confectam, spe freti, fore, ut, quemadmodum ter gratiose benevolentia hoc obligationis nostræ decentissimæ vestigal suscipiat, sic nos omnes favoribus amplissimis atque gratiis in omne ævum habeat commen-  
datos. Quod dum etiam atque etiam rogitalamus, omnigenam felicitatem, ac incolu-  
mitatem in annos Nestoreos appreciamus, & æquè per nosmet ipsos, quāni concredi-  
tos nobis subditos apud Deum exorabitus perennaturi

Roggenburgi 29. Februarii

1752.

Eminentissimæ ac Reverendissimæ  
Dignitatis Vestrae  
Devotissimi

Casparus Abbas Roggenburgensis, Vicarius  
Generalis & Visitator.

Josephus Abbas Urspergensis.

Ignatius Abbas Rothenensis.

Antonius Abbas Weissenaviensis.

Magnus Abbas Sorethensis.

Edmundus Abbas Marchtallensis.

Norbertus Abbas Sanct. Lucensis.

Laurentius Abbas Sanctorensis.

Gregorius Abbas Bellelagensis.

Quam

Quàm gratiōsē , quàm benevolē suscepereit Eminentissimus Cardinalis Protector Provinciæ gratulatorias , & munus oblatum , sequentes liquidō testantur Responsoriæ , verbis ultra modum & Dignitatem expressivis conceptæ . En ! lege , & Purpuratum adeò demissum mirare .

Reverendissime , ac Amplissime Domine !

**N**ihil mihi jucundius , nihilque optatus , quàm quæ ad me scripsit Reverendissima Dominatio Vestra humanissimis litteris pridiè Calendas abeuntis mensis datis intelligere , super mihi concredita à Sanctissimo Patre incliti Præmonstratensis Ordinis Protectione ; quamvis enim me nihil prorsus eorum mereri conspiciam , quæ pro sua in me humanitate differit Reverendissima Dominatio vestra , ex illis tamen mihi licet deprehendere gratum acceptumque eidem , & Reverendissimis Dominis Abbatibus , quorum nomina in litteris legi , quod imposito mihi oneri humeros licet impares supposuerim . Tibi Reverendissime Domine , & laudatis Reverendissimis Dominis Abbatibus immortales ago gratias pro singulari , qua me prosequimini , benevolentia , cuius luculentissimum testimonium exhibit non verba tantum , sed insigne marmoreæ statuæ munus , quo me prorsus immeritum cumulasti , quodque primas in Musæo meo obtinebit . Jam singulari erga me beneficio respondere curabo , Reverendissime Domine , quotiescunque mihi sese offerent occasionses , & tibi & inclito tuo Ordini gratum animum meum testandi , quod equidem sèpè accidat , votis omnibus exopto , manus que Reverendissimæ Dominationi vestræ ex toto corde exoscular .

Reverendissime Domine

Romæ XV. Cal. Aprilis MDCCLII.

Servitèr ex toto corde  
Alexander Cardinalis Albanus.

Reverendissimus D. Procurator Generalis in responso ad Reverendissimum nostrum dato fāis exprimere non potuit , quàm gratum acceptumque fuerit Eminentissimo D. Protectori hoc marmoreæ statuæ munus , in cuius comparationem expensa sunt 300. Scuta Romanæ monetæ . Faventem diu Sacro Ordini servent benigni Superi Eminentissimum Protectorem , & Cætui Candido , quem mutus quidem Apollo rigavit denuò , per Albanum splendorem & incrementum det Deus .

### §. III.

#### *De Caspari œconomia profana , & sacra unde quaque laudatissima.*

**M**agna sunt , & multa sunt , quæ Caspari œconomiam commendant , nomen laudésque perpetuant . Nos potiora tantum recensemus , quamquam vix alia sint , quàm magna , quæ magnus Caspari animus concepit , felicissime parturiit . Quod maximum est , primo commemoramus loco . Ad dignitatem Abbatis evectus vidit , inventit , doluitque , Monasterium , exceptis censibus annuis , sub gravi debitorum pondere adhucdum ingemiscere , quorum summa ad quatuor & viginti florenorum millia ascenderat . De illo hominum genere non erat Casparus , qui dormiunt in utramque aurem , licet creditor perpetuò vellat aurem . Unde omnem in eo laborem posuit , ut omni debito liberaret Roggenburgum . Liberavit (Deo sint laudes) quando jam anno 142. ad ultimum usque teruncium , quidquid debebat Roggenburgum , expunxit . Grande beneficium , quod nos quidem Casparo in acceptis ferimus , ipse autem totum adscripsit Deo , volens ea propter , ut non solum R. P. Prior solenni officio , sed plerique etiam de Sacerdotum numero ad aram grates agerent Deo , qui , quemadmodum expansis in Cruce manibus luit debita communia , modò liberalissima manu eluit nostra specialia .

Alterum œconomiæ genus , quod hodie commendat commendabitque Casparum posteris , est publica viarum reparatio . Multa quidem ad Monasterium ducebat via , sed omnis fermè erat invia , aquosa , lutofa . Redux à Galliis , ubi complanatas viderat semitas , suas quoque reparare cœpit . Incredibile est , quot labores propterea in se suscepereit . Montes convertit in valles , valles ascendere jussit in montes . A primo manè ad serum usque vesperum laborantibus adstitit , sèpè manus proprias labore defatigans , nec Jovem causatus pluvium , nec infestos Sirii conquestus ignes . Quo tandem effecit , ut omnis ex omni regione accessus ad Canoniam nostram sit facillimus , magno & jumentorum & hominum emolumento .

Verus pupilloram , orphanorum & viduarum pater singulari eorundem bonis ratione consoluit . Hactenus ejuscemodi bona administraverant propinquiores cujusvis consanguinei aut etiam agnati . Verum irrepentibus , ut fieri amat , quibusdam defectibus , in non exiguum pupillorum damnum redundantibus , Casparus omnia illorum

*Tom. VI. Collect. Monast.*

Q q

bona ,

bona, possessiones, pecunias &c. sub unius Generalis Tutoris ad hoc officii genus specialiter diligendi administrationem posuit, ita quidem, ut Tutor taliter constitutus singulis annis in præsentia Reverendissimi & aliorum, quorum interest, rationem villicationis suæ reddere teneatur.

Lites & dissidia, quæ vix Electo causabant subditi, afferentes, se nimium gravari, nemo nostrum est, qui ignoret. Renuebant consuetum præstare homagium, hic & ibi perniciose celebrabant conventicula, exteris consulebant Advocatos, quin ferrum etiam & ignes Monasterio minitabantur, ut unus de Coryphaeis sub arcta carceris custodia vix non ad mortem usque detineri debuerit. Repressit audaciam subditi prudens modestia & modesta prudentia Domini. Sed rustica gens est optima flens, & pessima ridens. Respirabat sub indefessa Caspari œconomia; at gratitudinis loco novas spirabat technas. Conquerebatur de nimietate operarum, stolidissime calumniabatur, Steuras & Collectas in privatum Monasterii, non publicum Imperii bonum applicari. His querelis ut iret obviā, partimque adulterinum primas inter undas suffocaret Casparus, Deo ita disponente, & rebelles subditorum animos commovente, transactione & amicibili conventione ita singulas singulis divisit operas, ut nemo deinceps conquerendi habiturus sit ansam, se perpetuum quasi Monasterii esse operarium. Quod concernit alterum, ut crassissimum subditi errorem, & falsissimam suppositionem enervaret, perpetua lege fancivit, ut quot annis in præsentia Majorum de Domo ex una, ex altera verò parte præsentibus ex unaquaque Communitate Consulibus Aërarii Præfector publicam exhiberet rationem, subscribendam ab unoquoque ex convocatis.

His ita compositis totum sese impedit augmentandis Ecclesiæ bonis. Atque ut uni vel alteri Parochorum de magis congrua provideret, coëmendo bona immobilia illorum auxit redditus, ita tamen, ut revocabilis duntaxat ususfructus penes Parochum, Dominum verè penes Monasterium existat. Anno deinde 1742. diuturnis atque subtilibus & valde delicatis quorundam vicinorum tricis finem impositurus, Molendinum Edegianum à molitore, alias ob causas proprietate sua cedere coacto, emptionis titulo Monasterii bonis incorporavit. Eodem jure Canonice nostræ anno 1746. accessit villa, vulgo der Glaserhoff, antea in emphitevsi Michaëli Fischer concessa: domus postea destruta, bona verò immobilia ad Villam Waldhusanam proximè adjacentem reducta sunt. Villæ autem Hochbuchensi pro commodiore pecorum sustentatione addidit pratum à Martino Schradi subdito Illerdissensi anno 1748. coemptum. Publicam quoque cauponam per contractum emptionis venditionis fecit nostram. Sed hæc omnia longè superat, quod subjungimus.

Aliquoties jam mentionem fecimus, quæ discordiarum poma maturuerint ex eo duntaxat Capite, quod non omnia membra uni subjecta fuerint Capiti. Ut igitur filium dissensionis rumperet Casparus, petitio præviè Venerabilis Capituli consensu, subditos, qui haec tenus Illustrissimis Comitibus de Styrum in Illeraicheim paruerant, suæ deinceps jurisdictioni quod ad omnia subjacere fecit, expensâ 16000. florenorum summa. Die 3. Decembris anno 1742. subditi recens adscripti in aula triclinio præsentibus omnibus Canonicis, supremo Monasterii Præfecto, Notario publico, aliisque Cancellariæ Officialibus, homagium dixeré, numerò octo: villa autem hac occasione coempta cum omnibus suis appertinentiis non sine multo rei domesticæ emolumento ad ædes parochiales translata est.

Aëdificia non nisi duo ad tectum ascendisse sub Caspero vidimus, sed omni exceptione majora hodiecum miramur. Primum est Tusculum Waldhusanum, cuius dominum è fundamentis novam, Sacellum verò renovatum gypso & picturis ad splendorem usque & adventantium admirationem illustravit. Initium & finem operis gemino complexus est Chronologico Reverendissimus; utrumque super januas in superiori atrio positas propriâ & eleganti manu legentium exhibuit oculis. Initium hæc exprimunt verba: paX hVIC DoMVI eXstrVI Cæptæ anno natI nobIs serVatorIs. Perfectionem verò operis ex sequentibus collige: faVentibVs Verò sVperIs fVb plIs D. IoannIs nep. atqVe fIDorI patroCInIIs aD Vota perfeCtæ. Ne quid tamen voluptatis desideraretur in amœno hoc aëdificio, suam ipse manum strenuè applicavit Casparus, & ad naturæ usque invidiam varia frugum confecit genera, ut medias inter hyemes continuatum ver, vel autumnum invenirent in cubili venerandi hospites, affixis hinc inde è muro thesibus, quas propria manu coloribus illustravit.

Eadem arte & elegantia domi partem aëdificii novi hospitibus destinati ad tectum eduxit, cubiculis pariter ad omnem splendorem exornatis. Quippe in aula præter alias picturas S. Norbertum pro Confirmatione Sacri Ordinis Romanæ Sedi supplicem, in cubiculo proximè adjacente tres Magos Divinum Fusionem adorantes, in conclavi inferiori

riori S. Josephum in Somnis Verbi Incarnationem edocum, exterius in summitate Scalarum, vel ut vulgo dicitur *Stiegenhaus*, Abrahamum & Melchisedech panem & vinum offerentem; in contignatione media ex uno latere Thesbiten, ex altero Jacobum dormientes, in medio Abrahamum Loth Fratri suo valedicentem, ad murum verò Fundatorum imagines; demum in parte infima Rebeccam Eliezer excipientem, propè cubulum Cellarii uvam ex terra promissionis allatam, propè cubile Archimagiri Manna è cælis depluum eleganter admodum expressit Apelles.

Qui tanta pro decore domus fecit, quanta putas in ornamentum Ecclesiarum contulisse Casparum? audi & obstupesce. Ecclesiæ Schlebuchensem nova turri, Ingstadianam eleganti valde ara principe & duabus à latere positis colore obductis, Biberensem, Messhoviensem, & Christertshovensem gypso & picturis reddidit insignes. Sacrae porrò Supellectili nostræ sub Casparo accedere fecit septem Casulas, quarum tres valde sunt pretiosæ, Calices & urceolos ex argento deaurato, pyramides quatuor auro, argento, & Sacris Reliquiis inter operas in rubro holoferico acu phrygia pictas divites, Baldachinum ex Damasco flavi coloris filo argenteis fimbriis ornatum, tapetes operis, ut vocant, Turcici, & denique quinque integros Ornatus, nigrum & violaceum ex filo damasceno, tres cæteros auro vel argento etiam ad luxum usque splendidos & verè pretiosos; thuribulum præterea cum navicula, tabulas secretas, aliisque complura & arte & pretio spectabilia, ita ut verè dicere possimus, Casparum Altare ligneum mutasse in aureum, & Sacrificium in argenteam. Verùm ad quid, inquis, perditio haec? vetula est Sponsa Ecclesiæ, rugis deformibus obsita, sepulchro proxima. Huic novam substituere decuit, ut paramentis adeò pretiosis majus inde accresceret jubar. Vedit hoc ipsum, & sèpè indoluit Casparus, nihilque magis in votis habuit, quam ut videret novam adstante Ecclesiæ. Sed lente festinandum esse censuit, & emunctâ crumenulâ opus tam magnum haud esse inchoandum judicavit emunctæ naris Abbas. Unde cùm aliquantulum turgeret loculus, mox de loco cogitare cœpit, quo novam tutò moliri posset fabricam. Tum 19. Novembbris anno 1751. in Musæo RR. Patrum & necessitatem & ingens suum exstruendæ Ecclesiæ desiderium cum summa totius Venerabilis Capituli lætitia manifestavit zelosissimus pro gloria Dei Abbas, & ut per vota concordia solidius tantæ moli daret fundamentum, voluit, ut omnes præberent consensum. Sed quis tam justa & sancta proponenti se se opponere audeat? magnes attrahit ferrum, & mellea amorisque plena Patris verba vel ferreum rapuissent hominem. Hinc uno ore in eam itum est sententiam & preces, ut, quantum per vires licet, tam necessarium, tam sanctum acceleraret opus. Et verò non distulit ardenter Capituli velificare votis; mox enim jussit ligna cædi, advehi lapides, & cætera præparari. Anno dein 1752. die 5. Julii à prandio Architectus, Simpertus Kramer, Edelstettensis Suevus, vir ætate 77. annorum venerabilis, priscæ germanæque virtutis homo spatium pro futuro Ecclesiæ ædificio ad amissim & regulas architectonices dimetri, cæteraque ita disponere cœpit, ut 17. Julii parata fuerint omnia solenni primi lapidis positioni. Ad quam solennitatem invitati comparuerunt Reverendissimi DD. Abbates Elchingensis, Urspergensis, Wettenhusanus, & Neresheimensis; item Perillustres ac Generosi DD. Josephus &c. L. B. de Vöhl Dominus in Illerissen &c. &c. & Franciscus de Vollmar, Dominus in Rieden &c.

Quoniam verò lege firma statuit Pontificale Romanum, ut, quando vel ubicunque ædificanda esset Ecclesia, pridiè ante Lapidis positionem Crux linea, ubi debet esse altare, figuratur, Apostolicam hanc dispositionem executurus Reverendissimus Casparus, 26 Julii operi se se accinxit. Assumptâ igitur post Vesperas Stolâ, Venerabile Capitulum subsecutus chorô exiit: stantibus autem juxta Aram S. Crucis à dextris & à sinistris Canonis Capitularibus, quam decentissimè inter tubarum & tympanorum applausum à terra sublevabatur Crux lignea à tribus studiosis ministeriali amictu indutis. Instructus mox Ordo per Ecclesiæ ad locum pergebat destinatum, agmen ducente genio, qui manu sinistrâ Scutum gestabat sequens chronologicon ex Aggæo Prophetæ appositè exhibens:

In LoCo Isto Dabo paCeM. Aggæi. 2. v. 10.

Der Fried alhier fürwahr

Der ganzen Höll zu truz

Wirdt grünen immerdar

Unter des Creuzes Schuz.

Genium sequebatur F. Conversus inter duos Ceroferarios Crucifixi portans imaginem, tum tympanotribus & tubicinum chorus; hunc excipiebat Studioſa juventus, post quam ordinatislimè bini & bini incedebant Canonici Roggenburgenses, rochetis vestiti, dein Reverendissimus D. Abbas, agmen claudente non exigua plebis turmâ. Ad aream ubi

Q q 2

inter

inter continuos festivosque tubarum plausus, ac omnium campanarum concrepantium sonitus perventum, mox in altum erecta fuit Crux lignea, atque terra immissa, Venerabili Capitulo in coronam, militibus à latere sinistro dispositis. Vix firmum terræ inhærebat Crucis signaculum, cùm R. P. Cantor Hymnum Vexilla Regis prodeunt &c. intonare cœpit, quam Canonici in genua procidui prosequentes Choraliter ad finem usque perducebant, cui demum Reverendissimus stans ante Crucem jungebat

℣. Omnis terra adoret te Deus & psallat tibi

℟. Psalmum dicat nomini tuo Domine.

℣. Domine exaudi &c. ℣. Dominus vobiscum.

Oremus.

Adesto nobis Domine Deus noster, & quos Sanctæ Crucis lœtari facis honore, ejus quoque perpetuis defende subsidiis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.  
His peractis processio ordine, quo exiit, ad Ecclesiam rediit.

#### §. IV.

*Primus ad futuram Ecclesiæ fabricam lapis solennissimè ponitur.*

Illuxerat tandem decretoria dies, qua solennem magis feliciorēmque hactenus Roggenburgum per complura sacerdota non vidit unquam. Summo jam manè lœta erant omnia, fremere tympana, disponi è regione Monasterii propè agros in Australi plaga minora tormenta, frequens accurrere populus, ferculum, cui lapis erat impositus, ad destinatum extrà portam efferri locum, omnia denique in ordinem dirigi. Horā sextā, tempore scilicet consueto, decantabant Primam & Tertiam Canonici, Capitulo usque ad *Salve Regina* submissa voce recitato. Horā septimā dabatur signum sexies explodendo tormenta, convenientibus interim Parochiis Tafertshoveni & Biberacensi, cum filiabus Ecclesiis Schieffenensi, Mefshovieni, Ingstadiana & harum Parochis, parvulos suos tum operarios, tum clementarios, tum etiam fabros lignarios repräsentantes juxta viam, per quam ad excipiendum lapidem erat transeundum, disponentibus. Horā octavā denuò convocabantur Canonici ad persolvendas Horas Sextam & Nonam. Quibus penè absolutis Reverendissimus Noster Sacristiam accessit, sacras assumpturus vestes, Reverendissimis, Illustribus, ceterisque DD. Hospitibus ad aram S. Crucis processionis initium expectantibus. Mox campanæ pulsari, buccinæ verò & tympana plausum edere, quem strenuè prosequerantur usque ad secundam portam, ubi Cantor Psalmum: *Lætatus sum &c.* intonare cœpit, quem Canonici absolvebant alacres.

Ad locum, ubi primus interim requieverat lapis, cùm perventum, atque hunc Lapidis lectulum amœnè splendidum in humeros suscepissent quatuor RR. DD. Canonici Sacerdotes, sine mora tubâ canere tubicines, scopleta milites, alii bombardas exonerare jussi sunt. Tum verò sensim movebatur Processio ad novæ Ecclesiæ aream.

1. Præcedebat Ductor Genius pretiosa veste Romanum in morem indutus, & manu sinistra sequentem Scuto inscriptam epigraphen tenens:

**SVRGENS ERGÒ MANE, TVLIT LAPIDEM, QVEM SVPPOSVERAT, ET EREXIT IN TITVLVM,  
FVNDENS OLEVVM DESVPER.** Gen. 28. v. 10.

Mit allen, die zugegen,  
Casparus gehet aus,  
Den ersten Stein zu legen  
Zum neuen Gotteshaus.

2. Genium immediatè sequebatur quidam Monasterii Servus, longiori toga violacei coloris eleganter vestitus, & redimitus tempora lauro, portans imaginem Crucifixi velo magni pretii, & superne hac Chronologica inscriptione conspicuum:

DVX pro noVa æDe rogenbVrgana DeVs CrVCifIXVs esto.

Nach Norberti Lehr  
Nur GOT am Creuz allein,  
Soll, wie unser Ehr,  
So auch der Führer feyn.

Ad pedes Crucifixi geminum conspiciebatur scutum,  
in uno: in altero:

**PETRA AVTEM ERAT CHRISTVS.**

1. Cor. 10. v. 4.

Ein Felsen Christus ist,  
Genant der gute Hirth.

SUPRA HANC PETRAM AEDIFICABO  
ECCLESIAM MEAM. Matth 16. v. 18

Auf welchen unser Kirch,  
Heut fest gegründet wirdt.

3. Par-

3. Parvulus quidam Architectum lepidè repræsentans , quem duo stipabant socii , Ichnographiam futuræ Ecclesiæ apertam gestantes.

4. Hos excipiebant parvuli ex parœcia filiali Schiessensi numero quadraginta & unus, præente Crucifero. Opificulos sequebantur septennes aut octennes Virgunculæ, Christum parvulum & Deum magnum hujus mundi machinæ Architectum in ferculo portantes , circum circa scutulis , suprà & infrà volantibus schedis exornato. In umbellæ summitate hoc legendum erat Chronologicon :

Dono isto gLoriosa Mater fLorens fLoresCat.

à latere dextro :

gLoria DoMino CrefCat.

à sinistro :

CaNDIDa CaNoNa spLenDeat

Ad pedes Jeſuli jacebat lapis cum gemino ex utroque latere Chronologico :

Io ! eCCe LapIDeM. sI t ad eCCLeſiaM.

infrà in medio :

soLI Deo gLoria , Casparo fLora Maneat.

4. Altera filialis Ecclesia erat Messhoviensis. Præcedentem cum scuto , cuius hæc erat inscriptio ex Lib. 3. Reg. c. 5. v. 5.

COGITO AEDIFICARE TEMPLVM NOMINI DOMINI DEI MEI. Genium sequebatur Crucifixi effigies floribus & sequenti chronologico ornata:

MatrI fVæ propItIæ fILII se sIstVnt sVbDItI aggratVLantes noVa eXorta festa hILarIa , atqVe foLennIa.

Zur Mutter Kirch ganz freudig lauft,  
Was lauffen kan , da nicht verschnauft:

Der neue Bau die Freude macht ,  
Das alles dich zu fehen tracht.

Hic sese immiscebant triginta duo pueruli trullis , malleis , securibus , aliisque instrumentis , & ad oculorum usque illicium vestiti ; tum visa Crux major cum duobus Ceroferariis , juventus adultior , R. D. Parochus , ac denique tota communitas utriusque sexus cum duobus majoribus vexillis.

6. Tertia quoque comparuit filia Ingstdiana , Matrem suam veneratura , præunte genio cum scuto tres stellas , Reverendissimi insignia , exprimente , addita inferius è sacris paginis epigraphae :

IPSE AEDIFICABIT DOMVM NOMINI MEO. 3. Reg. 5. v. 5.

postea jussi incedere octo pueri fabri lignarii , tum floribus elegans Crucifixi imago cum duobus ceroferariis , sequentibus duobus s. annorum pastorculis , tum reliqua puerorum cæmentarios & operarios repræsentantium turba : hanc sequebatur flavum Marianæ Confraternitatis SS. Rosarii vexillum , istud D. Agathæ V. & M. ferculum , hoc verò R. D. Parochus , proximè hujus vestigia premente juventute , tum viris cum rubro , & fæminis cum Labaro cæruleo agmen Ingstdianum cludentibus.

7. Nec partibus suis defuit formata parochia Biberacensis , ut pari devotione cum filiabus Ecclesiis in tantæ lætitiae veniret partem ; suos quoque misit parvulos varia operariorum , murariorum , ac fabrorum lignariorum instrumenta partim in humeris , partim in manibus gestantes. Horum numerus ad 33. ascendit , qui omnes pariter Ductorem habuere genium scutatorem , Romano more vestitum. In parvula scuti ex epistola D. Pauli ad Ephesios hæc legebantur :

SVB IPSO SVMMO ANGLARI LAPIDE CHRISTO IESV. Ephef. 2. v. 20.  
& infra:

HeM pLebs De bIberaCo foCIata.

Crucifixi imago genium subsecuta floribus æquè , ac voto chronologicè concepto erat conspicua.

QVI faCtVs est In CapVt angVLI , proptIVs hIC eXIstat reInæDiflCanDæ eC. CLesiæ rogenbVrgenI.

8. Hic à quatuor RR. Patribus portabatur Lapis angularis , jacens in repositorio sub tecto holoserico aurei coloris , quadratus , in longitudinem tamen sese paululè extenuans , geminos inter genios cælestes , arte sculptoria elaboratos , quorum primus à dextris , digito in lapidem intento , parmulum sinistrâ tenebat cum hoc Chronostico :

Cerne hIC LapIDeM.

à lævo genius alter , manu dextrâ pariter scutulum sustentans , novam digito designabat ecclesiast. Succincta scuti inscriptio , quemadmodum præcedens , currentem exhibebat annum hoc modo :

Tom. VI. Collect. Monast.

Rr

In

In & aD eCCLeſlaM.

Utrique huic chronologico subjuncti legebantur verſus germanici:  
Der Grundſtein, ſieh lieber Christ!

Dis der neuen Kirchen iſt.

In edito magis loco prop̄ lapidem omnium oculis exposita ſtetit nova ecclesia, ē ligno  
affabré elaborata, ſuprā quam fama in orbem divulgabat ſequens chrono-prognoficon:  
eXſtrVetVr, & pLenē eXVrget ſub Caspero reVerenDIſſIMo præfVLE.

Der neuen Kirch Modell

Wir thun vorſtellen dier,

Die ein Zorobabel

Wirdt auferbauen hier.

In fronte ante lapidem geminum rursus exurgebat ſcutum, quod ferulum iſtud pene  
in triumphalem transformabat currum. Inſcriptioni materiam ſubminifrabat illud Gene-  
ſis c. 28. v. 22.

LAPIS ISTE, QVEM EREXI IN TITVLVM, VOCABITVR DOMVS DEI.

Auff dem geweyhten Stein

Die Kirch ſo lang wirdt ſtehen,

Bis d' Welt wirdt fallen ein,

Ins erste Nichts vergehen.

Pegma iſtud portatile circumdabant undique armati pedites, præfixo bombardæ pugio-  
ne, præeunte militariter cincto Subcenturione noſtro cum tympanotribâ & aliquot mi-  
litum manipulis.

9. Post ferulum ita exornatum immediatè incedebant tres parvuli albis, ſed ru-  
bris tæniolis diſtinctis veſtibus amænè induiti, cum trulla, malleo & labro, instrumen-  
tis ad ponendum lapidem neceſſariis. Unus præferebat ſcutulum appofitum ad ſubſe-  
quentes continens S. Scripturæ textum:

CONSTITVIT EX EIS LATOMOS AD CAEDENDOS LAPIDES ET POLIENDOS, VT AEDIFICARE-  
TVR DOMVS DEI. 1. Paralip. 22. v. 2.

Dem Maurer, Ziegler, Zimmermann

Ligt ob den Bau zu fangen an.

10. Parvulos excipiebat futurae Ecclesiæ Architectus, D. Sympertus Kramer, a-  
mœno florū fasciculo ad brachium ſinistrum decoratus. Hunc ſtipabant D. Joannes  
Martinus Kuen, cui templi piæturi exornandi demandata provincia, & Joannes Geor-  
gius Bergmüller, cui Altaris ſummi commiſſum erat negotium.

11. Hos ſequebantur gypsatores, cæmentarii, fabri ferrarii & ferarii, ac Latera-  
riorum magiſter cum suis.

12. Tum fabrorum lignariorum magiſter, Josephus Brutsch de Illerdiffen cum fu-  
is, ſecures geſtantibus.

13. Poſtea tubicinum chorus cum Tympaniſta.

14. Studioſa Juventus in claſſes suas diſtincta,

15. Quam ſequebantur complures de Venerabili Clero Sæculari tam Parochi, quam  
Sacellani.

16. Clerum denuò excipiebat Genius Romanum in morem attalicè veſtitus, ſcu-  
tum ſimul & Capsulam primo lapidi immittendam ſuper argenteo mazonomo portans.  
Capsula hæc dimidium pedem in longitudine haud ſuperat, confecta ex ſtanno anglico,  
quadrata, oblonga tamen, ſcilicet ad formam lapidis accomodata, ſericis funiculis ru-  
bri & Cyanei coloris circumligata, & annulo abbatiali obſignata. Scuto autem hæc  
inſcripta legobantur:

CapseLLa pro LapIDE prIMO.

Bey legung dieses ersten Stein

Was vorgegangen iſt,

Ein Zeug muß dieſe Capsl feyn

Zu ewiger Zeites Frift.

Porrò in Capsula iſta ſequentia recluduntur. Cera Papalis Clementis XII. P. M.  
Reliquæ S. Maximi M., S. Perpetui M., S. Mauritii M., S. Placidi M., S. Alberti,  
S. Mansueti, S. Lucidi M., S. Bernardi Abbatis, S. Severiani M., S. Victoriani M.,  
S. Dominicæ M., S. Amandi M., SS. Severinæ, Laurentiæ, Valeriæ & Venantii,  
quorum quatuor Sacra Corpora jam ultrà annos triginta in Eccleſia Roggenburgensi re-  
quiescunt. Crux Wiblingana, & Scheda S. Agathæ V. & M. benedicta contra ignem.  
Item membrana pergamenea ſequentia continens.

AD

## AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

IVgIs LaVs, & gLorIa sIt InDIVIse trInItatI, b. VirgInI Mariæ, sanCtIs patri-  
bVs AVg VstIno & norberto.

Ecclesiæ nostra Matrice Roggenburgensi Sac. Cand. & Exempti Ordinis Præmonstratenſis apertè in ruinam ſubſidente, unanimi conſenſu, applauſu, & congratulatione omnium, quorum intererat, Reverendissimus ac Ampliſſimus S. R. J. Prælatus DD. Casparus, præfatæ Ecclesiæ Abbas vigilantissimus, ejusdēmque Ordinis per Sueviam, Gryfoniam, Brisgoiam, & Helvetiam Vicarius Generalis & Visitator digniſſimus, Ecclesiārum Sancti Lucensis & Churwaldenſis Superior jure hæreditario ordinarius, nec non Reverendissimi S. R. J. Prælatorum Collegii Laudatiſſimi Circuli Suevici Condirector, anno 1752. ſeria ſecunda post Dominicam, qua Indulgentiis plenariis à Christiano populo lucrandis celebatur festum S. P. N. Norberti, id eſt 17. Julii præmissis folennitatibus de jure requiſitis prium lapidem pro nova Ecclesiæ Canonice noſtræ Roggenburgensiſ aliarum, nempe Ingſtadianæ, Meſhovianæ, Braittenthalenſis & Schieffenſis Matrice, in honorem B. mæ ſine labe conceptæ & glorioſæ Virginis Mariæ in cælos aſſumptæ, nec non S. P. N. Augustini, uti & S. Joannis Baptiſtæ, in Pontificalibus benedixit, & posuit, aſſiſtentibus ſibi

R. mo ac Ampl. mo S. R. J. Prælato, DD. Amando, Imperialis Monasterii Elchingenſis, Ordinis S. Benedicti Abbatे vigilantissimo &c. &c.

R. mo ac Ampl. mo S. R. I. Prælato, D. D. Josepho, Imperialis Canonice Urspergenſis Ord. Præmonſt. Abbatे vigilantissimo Ecclesiæ noſtræ Roggenburgensiſ Patre - Abbatē digniſſimo.

R. mo ac Ampl. mo S. R. I. Prælato, DD. Melchiore, Imperialis Ecclesiæ Wettenhufanæ Can. Reg. S. Augustini Abbatē vigilantissimo.

R. mo ac Ampl. mo DD. Aurelio, celeberrimi Monasterii Nereshemiensis Ord. S. Benedicti Abbatē vigilantissimo.

Perillustri ac generoſo DD. Josepho L. B. de Vöhlin, Domino in Illerdiffen &c. &c.

Perillustri ac Generoſo DD. Francisco Adamo Josepho L. B. de Vollmar, Domino in Rieden &c. velut teſtibus ſpecialiter ad hunc aetum invitatis & requiſitis.

Sub Pontifice Summo Benedicto XIV. ex genere Lambertinorum Bononiensi, in Pontificem electo die 17. Auguſti 1740.

Epifcopo Augustano (in cuius diocesi ſitum eſt Roggenburgum) Josepho Landgravi Hafſo - Darmſtadiensi, electo 18. Auguſti 1740.

Abbatē Generali totius Ordinis Præmonſtratenſis Brunone Becourt. Sub Imperatore Francisco I, Lotharingo, Magno Hetruriæ Duce, in Romanorum Regem electo die 13. Septembris 1745. & in Cæſarem coronato die 14. Octobris ejusdem anni.

Imperatricē ejus conjuge, Maria Theresia Austriaca, Caroli VI Imperatoris na-  
tu maxima & hæreditaria filia, Archiduče Austriæ, Regina Hungariæ & Bohemiam.

Architecto Symperto Kramer de Edelſtetten.

Fabro lignario Josepho Brutscher de Illerdiffen.

Pictore Francisco Martino Kuen de Weiffenhorн.

## CATALOGVS.

RR. ac RR. Canonicon Regularium Præmonſtratenſium, Imperialis & Exempti Col-  
legii Roggenburgensiſ in Suevia hoc tempore viventium.

Reverendissimus ac Ampliſſimus S. R. I. Prælatus DD.

## CASPARUS Abbas,

Præfati Sac. Can. & Exempti Ordinis per Sueviam, Gryfoniam, Brisgoiam & Helvetiam Vicarius Generalis ac Visitator, nec non Reverendissimi S. R. I. Prælatorum Collegii laudatiſſimi Circuli Suevici Condirector &c. natus Auguſtae Vindelicorum 24. Aprilis 1697. Professus 12. Septembris 1717. Neomysta 25. Octobris 1722. electus 22. Mar-  
tii 1735. consecratus 24. April. 1735.

## SACERDOTES.

P. R. P. Georgius Lienhardt, Überlinganus Acronianus, Prior.

A. R. P. Augustinus Panzau, Augustanus Suevus, Subprior.

M. R. P. Franciscus Xaverius Hueber, Guettenbergensis Algoius, Senior.

R. P. Joannes Nepomucenus Haller, Augustanus Suevus.

R. P. Gerungus Frendel, Nereshemiensis Suevus.

R. P. Franciscus Holzmann, Oberwaldſtettensis Suevus.

R. P. Innocentius Weygl, Ravenſpurgenſis Suevus.

R. P. Cœlestinus Jacob, Wifenzaigenſis Suevus.

R. P. Jacobus Lacopius Remmele, Ichenuſanuſis Suevus.

R. P. Severinus Bendel, Waldſeensis Suevus.

R. P. Adrianus Beccanus Hanckh, Schongavienſis Bavarus.

Rr 2

R. P.

- R. P. Claudius Pannoeckher, Augustanus Suevus.  
 R. P. Ludolphus Beckhensteiner, Dilinganus Suevus,  
 R. P. Hermannus Kuen, Weissenhornensis Suevus.  
 R. P. Fridericus Baur, Landspergensis Bavarus.  
 R. P. Marianus Mockh, Sorethanus Suevus.  
 R. P. Josephus Hugl, Buchaviensis Suevus.  
 R. P. Godefridus Minder, Neoburgensis Palatinus.  
 R. P. Ignatius Haufen, Dilinganus Suevus.  
 R. P. Philippus Bayrhamer, Thannhusanus Suevus.  
 R. P. Casparus Schmidt, Dilinganus Suevus.  
 R. P. Melchior Eggardt, Augustanus Suevus.  
 R. P. Balthasar Beck, Sinnigenensis Palatinus.  
 R. P. Benedictus Schmid, Augustanus Suevus.  
 R. P. Norbertus Held, Obenhusanus Suevus.  
 R. P. Siardus Höfs, Babenhusanus Suevus.  
 R. P. Gilbertus Scheyrle, Marckh-Dischinganus Suevus.  
 R. P. Venantius Planck, Wettenhusanus Suevus.  
 R. P. Carolus Berdold, Augustanus Suevus.  
 R. P. Edmundus Marienfeld, Ulmensis Suevus.

## FRATRES NOVITII.

- F. Dominicus Kösel, Steinbacensis Algoius.  
 F. Bernardus Kimmich, Oberwaldstettensis Suevus.  
 F. Ifridus Weltin, Neumillanus Suevus.  
 F. Evermodus Mielich, Oetinganus Rhœtus.  
 F. Wilhelmus Müller, Fischbacensis Suevus.

## FRATER CONVERSUS.

- F. Marinus Gross, Haselburgensis Algoius.  
 QVI strVXere no Vas æDes tibi, Vrgo Maria!  
 hofCe patro CInIo, qVæso, t Veret Vo.

Et hæc de Capsula. Jam redeamus ad ordinem.

17. Post Genium, alio nomine intermedio, quam ordinatissimè incedebant RR.  
 DD. Cahonici Roggenburgenses.

18. Hos tandem omnes in Pontificalibus sequebatur Reverendissimus Abbas noster  
 Casparus, ornatus splendidissimo, auro prædivite, flosculis hinc inde acu phrygiâ artificio-  
 se intextis circumamictus, habens secum Assistentem, Diaconum & Subdiaconum,  
 præcedentibus ministris & Ephebis hispanico ritu vestitis.

19. Reverendissimi Conductum sequebantur Reverendissimi ac Amplissimi Abbates  
 Elchingensis & Urspergensis, Wettenhusanus & Neresheimensis, Rochetis & Mozzeto  
 conspicui.

20. Tum Perillustres ac Generosus D. L. B. de Vollmar.

21. Admodum Reverendi ac Religiosissimi DD. Hospites, & demum

22. Alii complures Hospites alicujus Conditionis & eminentiae.

In hoc itaque ordine & magnificentia processum est ad aream ponendi lapidis, al-  
 ternantibus interim tubarum & Canonicorum choris, illis strenue applaudentibus, his  
 Psalmum: *Nisi Dominus ædificaverit domum &c.* in quinto tono decantantibus. Hos inter  
 jubilos gratum sibi onus, lapidem angularem, ante Crucem pridiè positam depositare  
 RR. Sacerdotes, ubi interim omnibus ad evitandam confusionem specialis assignatus est  
 locus. Cunctis in ordine consistentibus, mox denudò bombardæ & minora tormenta  
 exonerata sunt, & sacris functionibus ad ritum Pontificalis Romani initium dedit Re-  
 verendissimus Abbas. Ut autem nimis diu non protraheretur actus, preces præscriptas  
 usque ad Lapidis benedictionem persolvit submissa voce, reliquas vero cærimonias, o-  
 rationesque cantu peragendo. Vix immisus terræ cum Capsula fuit lapis, iteratò au-  
 diebatur tubarum plausus, sclopotorum, tormentorumque frager. Ubi tandem Re-  
 verendissimus cum Ministris, Reverendissimi, Perillustres, Plurimum Reverendi, Præ-  
 nobiles & reliqui Hospites ad perpetuam rei memoriam trinos dedere iectus super lapidem  
 Dum similiter fecerunt alii, itum est ad Ecclesiam, intonante R. P. Cantore Psalmum:  
*Laudate Dominum omnes gentes &c.*

Porrò locus, ubi primus requiescit lapis, est orbiculare fundamentum Sacrarii,  
 cum altari summo in linea rectissima Orientem versu.

Post Lapidem tanto cum apparatu positum Reverendissimus ac Amplissimus DD. Ab-  
 bas Urspergensis Summum decantavit officium, & hoc finito *Hymnum Te Deum &c.* intonuit,  
 quem virtuosa amoenitate prosecuti sunt Musici, subjunctis dein orationibus consuetis  
 debitas inter gratiarum actiones, & nova vota felici Operis tam sancti successu felicem  
 impo-

imposuit coronidem. Cæterum hoc mirati sunt omnes, quod dum cælum omne nubibus erat obductum, & ad pluvias pronissimum, sibi tamen quasi vim inferendo aquas retinuerit usque post redditum ad Ecclesiam, palpabili signo, quæm clementer approbet Divinum Numen Templum istud nomini suo ædificandum. Ultimè demum sub mensa, ne Hospitum, quorum plures quæm centum numeravimus, auribus suæ decessent deliciae, Musa Roggenburgensis in Dramate Musico exhibuit Sapientiam ædificantem sibi domum, concinnè admodum ad insigntem Caspari sapientiam alludens.

## §. V.

*Miscellanea.*

Anno 1737. R. F. Norbertus Thausean, Canonicus Roggenburgensis, Dilingam ad Studia missus, ibidem maligna febri occubuit. Ad exequias de gremio nostro missi sunt A. RR. PP. Subprior & Oeconomus. Sepulto in cœmeterio Ecclesiæ Parechialis Lapidem hoc epitaphio ab ipsomet R. mo Abbate composito posuit:

Latet

In hoc claustro

extræ Claustrum

F. Norbertus Thausean, Canonicus Roggenburgensis,

Hunc,

O mors inexorabilis!

Non candor habitus, nec locus exterius,

Non virtus, ars, Scientia, nec varietas Musicæ

Poterant eximere ab ordine morientium,

Licet exempti Ordinis Præmonstratensium:

Sed è palaestra litteraria Dilingæ

Hyberno tempore,

In vere Juventutis

Citatus peremptoriæ

Æstate febris

Ad ferias autumnales.

His ut in æternum gaudeat,

Viator

Memor sis, &amp; leva.

CasparVs CoLlegI rogenbVrgenls Abbas, aC s. r. I. præLatVs filio fvo per  
Charo preCatVr reqVIeM. 14. februarii.

Cum tantus peregrinantium affluxus, & pœnitentis populi concursus ad Thavmaturgam B. V. Mariae in Schieffen effligiem esset, ut quot annis solus communicantium numerus ad triginta hominum millia ascenderet, pro majori illorum solatio à Benedicto Papa XIV die 7. Martii anno 1742 impetrata est Bulla, vi cuius omnes & singuli peregrinantes semel in anno die à quovis pro libitu eligendo lucrari possunt Indulgentias plenarias. Item Confraternitas 7. dolorum B. V. M. ibidem anno 1685. solenniter erecta, incorporatur Sacro & celeberrimo Ordini Servorum B. V. Marie.

Anno 1745. Roggenburgi instituta & erecta est Congregatio Studiosorum in honorem B. V. Mariæ sine labe conceptæ, & B. Hermanni Joseph, confirmata, & multis privilegiis ac Indulgenciis condecorata à Benedicto XIV. Pontifice maximo.

Anno 1752. humillimè à Joanne Faulhaber Colono Eberspacensi rogatus Reverendissimus Abbas Casparus, 15. Maji primum lapidem pro Sacello ædificando posuit in Ebersbach: die vero 18. Februarii solenniter benedixit campanulam in honorem S. Francisci Xaverii, eidem Sacello destinatam.

## §. VI.

*Morbus, Mors, & Exequiae Caspari.*

Secundo haec tenus amne remigabat Roggenburgum, & lætis jamjam oculis felicitatis sua portum spectabat, sub Navarcho peritissimo Caspero, cum ecce in portu naufragium. Vedit, & invidit nobis mors cæca felicitatem nostram, quæm ut citius certiusque præscinderet, vitæ filum abrumpere cogitavit Caspero. Vix dolere cœpit Reverendissimum Caput, languebant membra, & fui incuria, curam omnem impendebant ægroto, evocatis etiam Krumbaco, Weissenhornio, & Memminga peritissimis Galenis. Verum follicitum morbus rheumaticus elusit artem. Unde pro auxilio cælum pulsavimus, oblatis quotidie tum in ara S. Crucis, tum ad thavmaturgam Virginem in Schieffen

Tom. VI. Collect. Monast.

Ss

com-

compluribus Sacris. Ad hæc post decantatam Primam singulis diebus publicæ adoratio ni expositus SS. Sanguis D. N. J. C., & sub Sacro Mariae recitatum est Rosarium dolorosum, subjunctis quibusdam aliis orationibus devotissimis. Atque ut certius fieret locus gratiæ, innocentissimos quosque comprecatores, parvulos nempe & puellas septem aut octo annorum constituimus. Nemo sine lacrymis, dum innocentes isti peregrinantes, cælō licet pluvio, processionaliter ex Schießen, Mefshoven, & Ingstetten ad Ecclesi am nostram venerunt, præeunte Crucifixi Imagine, comitantibus RR. DD. Parochis. Bini ac bini ordinatissimè incedebant, elevatis in cælum manibus, oculis in terram demissis, alta voce Psalterium Marianum recitantes, ut nemo non crederet, cælum his precibus emoliendum. At clausa fuit janua, non referanda, nisi primò manè Sabbathi, ut magnam Caspari reciperet animam.

Fluxit igitur, imò jam defluxerat 22. Junii dies anni 1753, cum ultimam sibi noctem instare advertit Abbas, quod etiam expressit dicendo: *jam solus componere deleo argumentum.* Unde ut securus adiret viam aternitatis, jam 21. SS. Viatico munitus, denudò exomologesi generali scopebat animam, paulò post à R. P. Priore sanctè inunctus. Nemo adstantium tam properum divinabat abitum, solus, qui jacebat, mox feso abitum sentiebat. Quare vocato ad se R. P. Priore, datis quibusdam Salutis monitis, valere jubet Filios, & circè horam secundam cali diluculantis inter intensissimos pietatis affectus abiit ad Patres. Patris moritrientis lectulum pauci admodum coronabant filii, morte nimium quantum properante, ne raperent prædam.

Corpus piè defuncti ex more S. Ordinis nostri honestè lotum induebatur habitu longiori, Rocheto, Mozzeto, Cruce pectorali, Byreto violaceo, Stola nigra, & calceis ex corio albo, atque sic vestitum in conclavi S. Josephi adventantium oculis exponebatur, deinde verò usque ad diem Lunæ in Sarcophago ad Sacrificium delatum est, ex qua demum præfata die ad locum sepulturæ circè horam octavam antemeridianam sequenti ordine funebri deductum.

1. Agmen præbat Genius Romanus, totus peplo obductus, & manu sinistra inversum Reverendissimi piè defuncti Scutum præferens.

2. Quidam Monasterii Servus cum imagine Crucifixi, velo nigro cooperata.

3. Tubicines cum Tympanista; illi unum duntaxat vel alterum è tubis Sardinulis infixis sonum edebant, hic tympana nigro panno velata lenta manu pulsabat.

4. Consultores, Assistantes, & Præfecti utriusque Confraternitatis, Augustissimi videlicet Sacramenti, & SS. Scapularis.

5. D. Subcenturio cum suis militibus, bombardas inversas portantibus.

6. Studiofa Juventus.

7. Plurimum Reverendi & Eximii DD. Clerici Sæculares cum Decano, Camerario, & Procuratore Venerabilis Capituli Weissenhornensis, ardentes in manibus candelas habentes.

8. Quatuor Venerandi Patres Capucini ex familia Weissenhornensi.

9. Venerabile Capitulum Roggenburgense viduatum, Rochetis & Stolis nigris desuper pendulis indutum, ac Psalmos funebres ex more decantans.

10. Duo Ministri, quorum alter Pedum Abbatiale totum peplo obductum, Mitram alter similiter velatam portabat.

11. Reliqui Altaris Ministri præcedentes Reverendissimum & Amplissimum Domum. S. R. I. Prælatum, D. Josephum, Abbatem Urspergensem, & Ecclesiæ nostræ Roggenburgensis Patrem Abbatem, medium inter Diaconum & Subdiaconum.

12. Feretrum Reverendissimi piè defuncti, succollatum ab octo Senioribus Imperialis Collegii Nostri Sacerdotibus. Ex utroque latere gradiebantur Ephebi hispanum in morem vestiti, sed peplo à Capite usque ad pedem tecti: manu dextera tœdam funebrem, sinistra eversum defuncti Scutum ferebant.

13. Supremus Monasterii nostri Præfector, & cæteri Officiales, pullata veste, palliis oblongis, & peplo ferico nigro à pileis usque ad terram ante & retrò defluo incedentes.

14. DD. Commissarii ex vicinia submissi.

15. Famulitum domesticum, Cæmentarii, Operarii, Fabri lignarii, Subditi magno numero confluentes; & demique

16. Mulieres non paucæ plangentes sequebantur eum:

Ducebatur autem agmen funebre per superiore Conventū hortum, & aream aulæ ad Ecclesiam, ubi sub re Divina Cadaver Castro doloris à quadraginta quatuor candelis tristè illuminato imponebatur. Propè Castrum stabant quatuor ligneæ molis mortis imagines, quarum prima Pedum, altera Mitram, tertia Byretum, quarta chirothecas & annulum portabat. In fronte conspiciebatur Roggenburgum viduatum sub habitu

bitu Matronæ dôlentis , sinistra veram defuncti Abbatis effigiem peplo serico velatam tenens , suprà cum lemmate : *Non nisi in umbra :* & infra : *quis me separabit :* à dextris Monasterium Sancti Lucense itidem sub habitu Matronæ cum epigrapha : *quò abiit ? à Sinistris Churwaldia pariter ut Matrona cum lemmate : abscondit faciem.* Ab utroque latere stabat Genius Provinciae & Circuli Sueviæ ; prior in Scuto exhibebat flores ad Solis occasum flaccidos cum subscriptione : *marcescunt sole cadente.* Posterior præferebat Symboli loco manum cum annulo sine gemma , cum hac epigrapha : *amisit pretium.* A tergo Castri visebatur Scientia cum variis Instrumentis Arithmetices & subscriptione : *ipsa Minerva dolet tantam jacloram.* A dextris Mansuetudo cum corde aperto & lemmate : *in uno omnes.* A sinistris Pietas cum variis instrumentis poenalibus & inscriptione : *pietate perennat.*

Summo decantatō tandem Exuviae amantissimi Patris nostri inter crebros altosque singultus & continuas ferè omnium adstantium lacrymas tumulo proximè ad aram S. P. N. Norberti effosso & lapidibus excavato illatæ , sed post annum denuò exhumatae , atque in novam Monasterii nostri Ecclesiam translatae sunt.

Iisdem solennitatibus Caspero maximo parentavimus die Depositionis Tertia , Septimâ , & Trigesima , quam solenniorem fecit Oratio funebris sub Themate : *Vivo ego , jam non ego , vivit verò in me Christus ,* à Plurimum Reverendo , Religiosissimo ac Clarissimo D. Michaële Kuen , Can. Reg. S. Augustini ad exemptas Insulas Wengenses Ultimæ Decano meritissimo dicta , & postea typis mandata. Ut verò Præful noster amantissimus in posterorum memoria jugiter vivat , placet adjungere litteras funebres , ita stylo lapidari conceptas.

Heu ! heu ! heu !

Vixit ,

Qui nostrum omnium vita fuit.

Cecidit ,

Per quem felices stetimus ,

Propter quem nunc in tenebris sedemus ,

Ingemiscimus , ploramus .

Eheu !

A nobis ablata , & tumulo illata jacet

Omnis gloria nostra , decor , & ornamentum .

Exigui modò sumus ,

Quia , quidquid magnum inter nos fuit ,

Momentò citius abiit ,

Dum obiit

(Cum calamo tremit lingua ad ter venerandum nomen)

Reverendissimus , Perillustris , ac Amplissimus

S. R. I. Prælatus ,

Dominus , Dominus

## C A S P A R U S ,

Canonice nostræ Roggenburgensis

Abbas vigilansissimus ,

Sacri & Exempti Ordinis Præmonstratensis

Per Sueviam , Alsatiam , & Grysoniam

Vicarius Generalis , ac Visitator ,

Reverendissimi S. R. I. Prælatorum Collegii

Circuli Suevici Condirector dignissimus .

Colendissimi DD. Confœderati !

Caligant oculi nostri ,

Quia non amplius videmus Solem

Verè perillustrem ,

Et sine nube splendidum ,

Modò autem sub umbra mortis occultatum .

Plorabunt oculi vestri ,

Si radios folares intueri nobiscum lubet .

Augusta

Tunc certè fuit urbs augustissima ,

Quando solum hunc oriri vidit

24. Aprilis 1697.

Ex ortu divinare licuit ,

Quām pellucidus sit futurus in meridie ,

S s 2

Qui

Qui adēd splendescebat manē,  
 Simulque optare fas erat,  
 Ut nunquam occidat.  
 Solem aliās dicere solemus mundi oculum;  
 Omnium ocellus  
 Semper & ubique fuit CASPARUS  
 Scientiæ ac probitatis radios longè latéque diffundens.  
 Maculam omnem exosus,  
 Ut nullam contraheret,  
 Retrahere voluit radios,  
 Et tantisper occultare sub nube Regularis Disciplinæ.  
 Vix zodiacum hunc ingressus,  
 Solares imitari studuit assidue gressus,  
 Nec latum unguem ab illo egressus,  
 Quem alacriter decurrit perfectionis zodiacum.  
 Non mirandum igitur,  
 Quod exterorum quoque oculos Sol noster perstrinxerit  
 Et animos rapuerit.  
 Dilinga certè,  
 Quæ Philosophiæ, Theologiæ, ac Juris radios acuit,  
 Acutum probitatis splendorem sat̄ mirari haud valuit;  
 Tunc præcipue,  
 Quando Solem in Virgine,  
**CASPARUM Marianæ Congregationis Præfectum suspexit.**  
 Postquam Solis instar  
 Limpidissimas Scientiarum aquas  
 Ad abundantiam usque hauserat,  
 SS. Theologiæ & Juris laurea decorus,  
 Has non sibi proprias,  
 Sed omnibus voluit esse communes;  
 Quippe teneriores primò plantulas,  
 Albicantia dein Lilia  
 (Frates Studiosos) rigavit, fæcundavit  
 Facundissimus & profundissimus ex Cathedra Professor.  
 Post hæc,  
 Ut neminem lateret,  
 Quas in sinu flamas foveret,  
 Calori verbi Divini corda peccantia purgavit,  
 Frigida fervore succedit,  
 Cæcutientia igne illuminavit,  
 Pastor in Schießen zelosissimus.  
 Interim  
 Reverendissimus DD. Abbas  
**DOMINICUS**  
 Diem vidi ultimum,  
 Et spissas inter tristitiae tenebras  
 Diem secundum & serenum suspiravit Roggenburgum.  
 Vedit, & exultavit,  
 Quando ortus est Sol  
**CASPARUS**  
 22. Martii anno 1735.  
 Quamdiu Sol iste in hemisphærio nostro stetit,  
 Unam duntaxat numeravimus noctem,  
 Nempe qua Sol cognovit occasum suum  
 Pulverem,  
 Quem debita nobis insperferunt;  
 Omnem feliciter abstersit;  
 Nec propterea multum se fecisse credidit,  
 Nisi pulverem meliorem in montibus nostris  
 Vigilantiæ suæ radiis excoqueret.  
 Vix non dixisset, fuisse Alchymistam,  
 Adeò sub manibus ejus crevit auri pondus,  
 Ut, quantumvis opes sat multas

San-

Sanctè dilapidaverit in Sancta , & Sacra Loca ,  
 Nunquam tamen vacuum invenerit loculum.  
 Si testes asserti requiritis ,  
 Multos fistimus , sed mutos ,  
 Attamen vel sine voce vocales ,  
 Nimirum lapides diversarum Ecclesiarum ,  
 Quæ ad luxum usque à Sole nostro illuminatæ stant.  
 Unum dolemus maximè ,  
 Et inter singultus repetitos deploramus acerbissimè ,  
 Quod ,  
 Priusquam nova Matricis Ecclesiæ fabrica  
 Ad tectum ascenderet ,  
 Reverendissimus Architectus in tumbam descenderit ,  
 Sepulchrali lapide tectus .  
 Ut Dominum Simeon ,  
 Ita Templum Domini videre desiderabat ;  
 Sed , antequam videret , quod suspirabat ,  
 Expirabat .  
 Quamquam quid mortem heu ! non tardam  
 Calamò prævenimus ?  
 Absolvit Sol noster vitæ ,  
 Nos laudem vix incepimus , zodiacum .  
 Nocte rubens cælum cras indicat esse serenum :  
 Et nos quoque dies serenos  
 Rubicundo Soli nostro in acceptis ferimus .  
 Vidimus post mortem  
 Cruenta mortis instrumenta ,  
 Cilicia , flagella , multo sanguine horrida ;  
 A quibus sèpissimè tergum innocens rubuit ,  
 Delicatus quivis erubescere debuit .  
 Vidimus ,  
 Septimanis singulis ,  
 Quoties licuit per Rubricam ,  
 De Dilecto suo Candido , & in Passione Rubicundo  
 Dicere Missam ,  
 Ut in hora mortis  
 Ille ,  
 Qui tristis expalluit in hortis ,  
 Missam procul faceret omnem tristitiam  
 Vidimus ,  
 Quoties imaginem transfavit Ejus ,  
 Qui inclinato Capite  
 Pro nostra salute Spiritum emisit ,  
 Detecto vertice spirituosè dicentem :  
*Redemiſti nos Domine !*  
*Laus tibi sit ob amaram passionem tuam.*  
 Vidimus  
 In omnibus suis angustiis ,  
 Velut turturum gementem ,  
 In Petrâ doloris gladiò excavata  
 Refugium suum quærere .  
 Vidimus ,  
 Cum Horas Canonicas diceret ,  
 Psalmos singulos patienti Domino dixisse , dedicasse .  
 Vidimus ,  
 Quot annis sextâ majoris hebdomadæ seriâ  
 Sientem Dominum potâsse ,  
 Dum omni vino abstinuit ,  
 Et solâ frigidâ refrigeravit fauces .  
 Vidimus ,  
 Quantoperè tam in suo  
 Quam aliis Ordinis nostri Cœnobiis  
 Disciplinam hebdomadariam verbô urserit ,

Exemplō promoverit.  
 Vidimus ,  
 Cūm mors jam hæreret in lingua ,  
 Immotis labiis semper adhærentem  
 Hærenti suo in Cruce Domino Christo JEsu.  
 Itaque fieri non potuit ,  
 Ut ,  
 Quià Patre derelictus in ligno expiravit ,  
 Filium sui tam amantem ,  
 Ad Patres suos properantem ,  
 Derelinqueret suspirantem.  
 Nos autem an non benè dicimus ,  
 Solem nostrum arsisse in Leone ,  
 Qui tanto æstuabat amore in Leonem de Tribu Juda ?  
 Sed quid de Geminis ?  
 Solem currere , ni sanior doceret Philosophia ,  
 Nos in hoc Signo stare diceremus ;  
 Certè Sol noster , quamdiu luxit ,  
 Amore in proximum , amoris Dei gemino ,  
 Omnibus præluxit .  
 Sibi suōque palato detraxit ,  
 Ut haberet , quod esurienti adderet :  
 Infirmus cum infirmo  
 Bolum gratiorem in catino separavit ,  
 Ut traditus infirmo firmiores redderet vires .  
 In omnes partes divisit amorem ,  
 Partialis tamen nunquam fuit :  
 Omnes admisit ad alloquium ,  
 Neminem dimisit sine solatio .  
 Quivis accessit cum reverentia ,  
 Nemo discessit cum displicentia .  
 Soli fæmineo Sexui nulla ad Abbatiam patebat janua ,  
 Quia per hunc viris clausam dicebat portam ,  
 Quæ ducit ad vitam .  
 Verba ,  
 Quotquot locutus est ,  
 Fuere oracula ,  
 Quia semper priùs bis in lima  
 Quām semel hærebant in lingua :  
 Unde nullum ejus consilium fuit præcepis ,  
 Ut scirent omnes , Libram non esse ancipitem ,  
 Quam manus tam provida regebat .  
 Hæc & alia rapuere Galliam ,  
 Obstupescere fecerunt Sueviam :  
 Prior voluit ,  
 Ut Sol noster præluceret toti Provinciæ ;  
 Altera decrevit ,  
 Ut colluceret in Rev.mo S. R. I. Prælatorum Collegio  
 Circuli Suevici .  
 Pars neutra erravit ;  
 Qui enim humillimus animō  
 Vicariam à cælis virtutem esse credidit ,  
 VICARIVS S. Ordinis esse debuit :  
 Et qui nullum in vita circulum vitiosum fecit ,  
 Circulum condiregare promeruit ,  
 Utroque honore dignissimus ,  
 Quia nullum affectavit ,  
 Imō , quantum licuit , recusavit .  
 Sed ecce ! quem laudavimus ,  
 Nullum in vita fecisse circulum vitiosum ,  
 Deprehendimus toto aberrasse zodiaco ,  
 Dum in Cancro ostipede  
 Res & spes nostras utroque pede claudicare fecit .

In

In hoc Signo  
 Deprehendit illum Arcitenens,  
 Mors arcu & gladio armata,  
 Quæ, dum venit prosternere Caput,  
 Plus multò fauciavit membra.  
 Febris rheumatica præambulonem,  
 Dolores acutissimi egerunt comites,  
 Omnes in id unum conjurati,  
 Ut Solem nostrum eclypticā umbrā obducerent.  
 Verūm hic prius cognovit occasum,  
 Quām inimici ad perdendum surrexerint.  
 Unde ut Martio Spiritu armatus hostibus procederet obviām,  
 Die Martis ultimō ad aram stetit,  
 Fortium cibō roboratus.  
 Exinde ne ultrā cubiculo pedem efferret,  
 Dolores ligavēre guttūr,  
 Et tam arētē compreßerunt spiritum,  
 Ut momentis singulis Spiritum ad Eum, qui dedit,  
 Reversum expectaverimus.  
 Prostravit nos filios mōror nimius,  
 Solus amantissimus Pater inter dolores maximos,  
 Dum stare haud amplius potuit, sedīt imperterritus,  
 Et linguam in sancta suspiria  
 Solvit liberrimus :  
*Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum :*  
*Sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea ;*  
*Veruntamen non mea,*  
*Sed tua solius voluntas fiat.*  
*Creasti me, de terra plasmasti me,*  
*Ut in terram viventium reducas me,*  
*Per Passionem tuam rogo te.*  
 Hæc & similia suspirans, & ritè inunctus  
 Expiravit.  
 Ut verò totus à nobis non abiret,  
 Documenta tanto Patre digna reliquit :  
*Commendo me, & vos Deo,*  
*Ad quem vado :*  
*Commendo vobis pacem,*  
*Perfectam Charitatem,*  
*Et NB. sanctam Simplicitatem.*  
 Saxeа sunt corda,  
 Quæ non emolliuntur ad ista verba.  
*Nobis,*  
*Qui audivimus,*  
*In lacrymas abierunt oculi,*  
*Et hæ solæ, dum jacet Caput,*  
*Stant adhuc in maxillis.*  
*Diem obitūs nosse desideratis?*  
*Diem ignoramus;*  
*Quia tenebræ factæ sunt super Roggenburgum.*  
*Alii dixerunt nobis,*  
*Esse vigesimam tertiam Junii,*  
*Addentes,*  
*Ultimam vitæ horam fuisse noctis secundam.*  
*Ergo prô dolor! Sol cognovit occasum suum,*  
*Et lumen oculorum non est nobiscum?*  
*Fallimur :*  
*Non occidit,*  
*Sed ortus est Sol pro nobis in cælo,*  
*Utriceat nobis in perpetuas æternitates,*  
*Nec unquam in tenebris ambulemus.*  
*Ita speramus,*  
*Nec fallet utique spes,*

T t 2

Quia

Quia nullam in Sole maculam advertimus.

Si tamen Sol Justitiae

In Sole nostro labem cujusdam injustitiae deprehendit,

Ac propterea à Sedibus illis,

Ubi fulgent justi,

Ad tempus separavit;

Vos, Colendissimi DD. Confederati!

In tempore ferte citi fontes,

Et maculam immaculati Agni Sanguine delete.

Dum spiritus manebit in nobis,

Beneficii memoria non recedet à corde,

Qui sumus

Additissimi

P. Georgius Lienhardt, Prior,  
& Capitulum viduatum.

Cæterum quod attinet Reverendissimi Abbatis insignia, eadem omnino sunt cum illis Reverendissimi Dominici, hoc solo excepto, quod tribus Cygnis substituerit tres stellas, quarum media in campo rubro, reliquæ in cœruleo resplendent.

### f. VII.

#### Annotationes.

Alexander Albani, modernus Sacri Ordinis nostri Præmonstratensis Protector Eminentissimus, cuius laudes alius à nostro descripsit calamus in epistola superius relata, in hoc munere successit Eminentissimo Fratri suo Hannibali Albani, qui natus erat die 13. Aprilis anno 1687. hic anno 1710. Viennæ, & 1711. Francofurti ad Mænum in electio-ne Cæsarea Nuntii Apostolici munere perfunctus, eodem anno 14. Septembris Sacra purpurâ donatus est. Variis successu temporis enuit dignitatibus. 1. fuit Protector Collegii D. Bonaventuræ, & Custos Clavium Sepulchri Pii V. Papæ. 2. Episcopus Portuensis. 3. Archipresbyter Vaticani, & Præfectus fabricæ Templi S. Petri. 4. Protec-tor Sacrorum Ordinum Præmonstratensis, Carthusiani, & S. Francisci de Paula. Obiit 1751, sepultus in templo SS. Apostolorum, ipso Summo Pontifice Benedicto XIV. ejus funere cum septemdecim Cardinalibus præsentia suâ parentante.

Claudius Honoratus Lucas de Muin, Doctor Sorbonicus, & Theologiæ Professor, Præmonstrati Alumnus, & quondam Prior, in Abbatem ac Generalem electus est, postquam Philippus de Celers Domini Martini Abbas in Abbatem Præmonstrati assumptus, 14. Maii 1702. valedixit electioni suæ. Quadrageantis Librarum millibus oppignoratum Archicœnobium non modò liberavit, sed penè totum innovavit à fundamentis. Vita functus est 1740, die 13. Novembris, ætatis suæ 84, Professionis Religiosæ 65, Sacerdoti 59, Generalatûs 39.

Electionibus Abbatum Reverendissimus Casparus noster præsedidit anno 1739, die 29. Januarii Rothi, ubi R. mo Hermanno liberrimè cedenti successit R. mus D. Ignatius. Anno 1746. die 28. Maji ad Omnes Sanctos, ubi in locum defuncti R. mi D. Joachimi venit R. mus D. Laurentius. 20. Junii eodem anno, cedente per liberrimam resignationem R. mo D. Joanne Evangelista, Ecclesiæ Urspergensi præficitur R. mus D. Josephus. Et demum anno 1748. resignanti R. mo D. Macario ad S. Lucium successit R. mus D. Norbertus.

Cum trina vice à Camino culinæ ignis Monasterio nostro ruinas minitaretur provi-de statutum, ut deinceps sæpius per annum purgetur.

Anno 1746. convenientibus 13. Julii Biberaci Amplissimis S. R. I. Prælatis in Con-directorem electus est R. mus Abbas noster Casparus, qui

Eiusdem anni mense Novembri solenni Benedictioni Reverendissimi DD. Anselmi II. Abbatis Salemitani interfuit.

Item anno 1750. tanquam Condirector Abbatialis Collegii cum R. mo Directore, DD. Benedicto Abate Ochsenhusano, Marispurgum abiit, Neo-electo Celsissimo Princi-pi & Episcopo Constantiehi, DD. Francisco Casimiro Antonio ex perillustri familia L. Baronum de Roth gratulaturus.

Anno 1751. die 26. Septembris octiduanæ festivissimæ celebritatis in Ober Medingen Sacri Ordinis Prædicatorum asceterio solenne fuit initium. Solennitatis autem hæc erat origo. Monasterium istud à Gualtero Nobili & pientissimo Equite de Faimingen anno 1262. fundatum, pulsis Monialibus S. Dominici cessit furentibus Lutheranorum

ma-

manibus ; sed his per Wolfgangum Wilhelmum Ducem Palatinum & Principem verò catholicum denudè eruptum anno 1651, traditum est RR. Patribus Dominicanis. Usq; igitur sècularem restituti Sacro Ordini Monasterii memoriam solennius celebraret Plurimum Reverendus, Relg.mus ac Clar.mus D. P. Augustinus Baur, SS. Theologiæ Magister, & p. t. ibidem Prior, mitratos undique Præfules humanissima invitatione convocavit, ut singuli in dies singulos præsentia suâ in Pontificalibus centenarium iitum condecorarent jubilum. Prefatâ igitur die 26. Sept. comparuit Reverendissimus DD. Amandus, S. R. I. Prælatus Elchingensis, encomiasten agente R. P. Benedicto Kurz, Subpriore Elchingæ. 27. Sept. R.mus DD. Casparus, S. R. I. Prælatus Roggenburgenfis, è rostris dicente R. P. Ignatio Haufen Archivario. 28. Sept. R.mus DD. Aurelius Abbas Neresheimensis, sermonem faciente R. P. Thassilone Lucas Subpriore. 29. Sept. R.mus DD. Melchior, S. R. I. Prælatus Wettenhusanus, in Sacris exedris stante R. D. Stephano Seiz Decano. 30. Sept. R.mus DD. Cœlestinus Abbas ad S. Crucem Donauwerdæ, ad populum dicente R. P. Michaële Grazer SS. Theologiæ Professore. 1. Oct. R.mus DD. Michaël Abbas Fultenbacensis, è pulpito docente R. P. Jósepho Riedmiller ibidem Capitulari. 2. Octob. R.mus DD. Michaël Abbas Degginganus, Ecclesiasten agente R. P. Anselmo Molitor. 3. Octob. seu Dominica SS. Rotarii, & Solennitati Octava R.mus DD. Cœlestinus S. R. I. Prælatus Cœfarenfis, Sacri Oratoris munus obeunte R. P. Michaële de la Pesterie Priore. Denique coronidem à prandio imposuit R. P. Angelus Rhem Concionator Ordinarius Medlingæ.

Die 27. Maii 1751 placuit inscrutabili Dei voluntati Canoniam Neocellensem Ord. Præmonst. propè Frisingam in Bavaria tam subitanè horribilique incendio visitare, ut ea integra unâ cum Templo intrâ mediæ horæ spatiū à grassantibus omnēmque adhibitam operam eludentibus flammis corriperetur, ac tandem miserandum in modum penitus in cineres redigeretur; ubi potissima pars tum ornatū Ecclesiastici, tum librorum unâ cum Bibliotheca, Abbatia cum Ecclesia, turri, & Campanis, præcipua bona mobilia, imò pleraque ad quotidianum Monasterii usum necessaria, quæ subitō eripi non poterant, voracibus flammis in prædam cesserunt, & idcirco Monasterium hoc in sumam miseriæ abyssum est devolutum.

### C A P U T XXII.

## Georgius Lienhardt, Abbas XXII.

**N**ovum tibi h̄c sistimus Zorobabel, Lector benevole! quem brevi nobiscum alterum Canoniæ nostræ laudabis fundatorem. In laudes Præfulis optimi, maximi, amantissimi prurit equidem excurrere calamus, sed columnas ponit religiosissima modestia, quæ laudari refugit, dum laude dignissima facit. Sub rosâ igitur loquendum est; secreti tamen non infringes fidem, si, quæ dicimus in aurem, tu prædictes super tecta.

Überlinga, Sacri Romani Imperii Civitas, Georgii patria est. Ibi 29 Januarii 1717. ex patre D. Mathæo Lienhardt, Urbis Senatore & Tribunoplebis, matre verò Maria Joanna Schürdtin natus, ad baptisterium dictus est Christophorus Xaverius, haud absque omni, fore, ut Christum ferret in suo corpore, & nomen ejus cum Xaverio in Ordine Apostolico portaret coram gentibus. Philosophum egit satè mature. Vix enim evacuaverat ea, quæ sunt parvuli, vacuo manibus pedibusque restitit, ad usque superabundantiam litteris plenus. Ubi verò Peripatum Dilinganum est ingressus, non rifiu, aut cachinno dignum judicavit Copernicum, quod crederet, Solum stare, currere mundum, cum ipsem videret, omnia in orbe rotari in orbem. Securum à vertigine asylum querere parabat in Sylvis, non dodonaës, ubi quercus à fulmine tutas sub Jovis præsidio mentitur antiquitas, sed Hercynia, ubi sub patrocinio S. Blasii tenelle arbustulae sœvientes rident Euros Africósque. At ecce! dum forte in Congregatione Mariana pro patrono Menstruo obvenit S. Norbertus, displicent Sylvæ, placent alta cacumina montis. Eximia morum honestas & multa scientia scripserunt Candidato commendatitias, quæ candida dignum toga fecerunt, argumento simul haud elumbi, præclarum quoque sagò fore, non quidem anicipiti gladio, sed forti calamò pugnaturum. Anno 1736. die 14. Octobris solennib; votis se Deo, 8. Octobris 1741. se Deus consignavit manibus Neo-Mystæ. Erudiendæ juventuti præpositus, in eo studiosissimus fuit, ut eruditionis & pietatis haberet studiosos. Vix annum Scholasticum finierat, è Scamnis Alvari sublimatur ad subsellia Thomæ, cuius Summam per quadriennium summa tum sui laude tum Discipulorum utilitate explicavit, ita quidem, ut, cum in Disputatione finali Thesum loco Ogdoadem Erotematum typis mandatam ex-

Tom. VI. Collect. Monast.

U u

po.

poneret, Alma Universitas Dilingana speciosissimam doctrinæ solidissimæ laudem Libello præfigere non dubitaverit.

Ad Officium Prioris per gradus ascendens (nam Circatorem primò, dein Subpriorum cum Professore sociaverat) justò sexennio officiosam in omnes Matrem se probavit, omnium dignissimus, qui Patris titulò honoraretur, postquam Casparus hominem exuit. Et verò cùm 17. Juli 1735. ad Canonicam novi Abbatis electionem procedetur, quem priùs publicè dixerunt, fore Abbatem, per vota secreta scripserunt Abbatem, Georgium unanimi omnium consensu electum. Ut benedicendus majorem è cælis reciperet benedictionem, triduana S. Ignatii præmisit exercitia. Suis tamen dissidens precibus benedici voluit in æde illius, quæ benedicta inter mulieres terram maledicto liberavit, dum de ventre suo benedictum fructum genuit, illumque adhuc portat in brachio thavmatura in Schießen. Dies præterea solennis inaugurationis admodum illustris fuit, nempe Augusti septima, qua olim Augusta Ethnica Afræ accedit ignem, ut certius viam iniret ad astra.

Vix cum lustro abiit annus, ex quo ad clavum sedere cœpit, & tamen angustos inter hos annorum terminos tam magna tam augusta fecit geslitque, quibus perficiendis ætas emortua seculum assignasset, viatura paucis adeò diebus facta fuisse negabit, fors illò Poëta subnixa: nec Romam condidit una dies. Nos de multis pauca, ut ex ungue Colossum judicet mundus. Sub techo se stare nova lætatur Ecclesia, aris undecim, gypso ter nobili, picturis elegantibus superba: universæ fines Sueviæ capite suo inter nubes recondito prospiciunt turres: lampas argentea Chorum, Imago B. V. M. fine labe originaria conceptæ, unà cum sex candelabris affabré elaboratis exornat aram principem, recreat oculum, fervore succedit animum. Novâ librorum copiâ abundant docta Palladis scrinia, pretiosis vestibus rerum sacrarum custodes fornices: &, si muros excipias præter aurum & argentum vix aliud videbis.

Quid mirum, si materia tam nobilis non nisi nobiliorem appetit formam? dedit hanc Georgius, qui nunquam deformem adamavit Liam, sed formosam plus semper ornavit Rachelem. Namque non solum Sacras SS. Martyrum Venantii, Severinæ, Laurentiæ, & Valeriæ Reliquias, jam diu in Ecclesia nostra quiescentes, in novo super quatuor aras lectulo reposuit, verum etiam pretiosissimum hunc totius Roggenburgi thesaurum insigni prorsus augmento locupletavit.

Peregrinus in Israël eit, qui nescit, quanta modò patres miracula, in Germania qui quondum mirabilia passus est in Jerosolyma, Christus Iesus Dominus noster. Quem flagellis dirissimè conscientem, hominem esse, dubitavit Judex Romanus, nunc, Deum esse, confitentur græci & barbari, dicentes barbarismum stylo ferreo scripsisse in membrana Virginea, in qua Verbum unicum, scilicet Incarnatum, expresserat Pater aeternus. Cruentum adeò spectaculum nostra ubique non ignoravit Germania; sed quia ætatem vixit ferream, plumbi laminâ vel celte in filice exarare, vel potius cordi suo tenaciù insculpere neglexit vulnera, quæ ad columnam lapideam Salvatori nostro fecerunt ferrati cuspides. Igitur magni hujus Mysterii memoriam renovare cupiens Zelosissimus Abbas noster, Imaginem Christi flagellati juxta Prototypon, in campo Steingadensi, vulgo auf der Wif thavmaturgum, ex ligno sculpti, sculptam attactu Imaginis Steingadensis sacrari, eidemque publico cultu exponendæ Sacellum in Ecclesia nostra præparari curavit. Rebus omnibus ritè dispositis, solenni introductioni denominavit diem 9. Julii anni 1758, qua circa horam octavam Venerabilis Conventus, sub sequente in Pontificalibus cum suis Ministris Reverendissimo Abate, processionaliter exiit extrâ portam ad Receptaculum militum, juxta quod sub Baldachino prostabat S. Imago unà cum Etypo B. V. Mariæ Einsidensis. Ibi inter immensum devotæ plebis concursum decantatis aliquot congruis Antiphonis & Collectis, Amplissimus Abbas utramque Statuam ritu ab Ecclesia præscripto solenniter benedixit, sicque benedictam flagellati Salvatoris Imaginem quatuor RR. Patres, alteram verò B. V. Mariæ quatuor honestæ Virgines ad templum deportaverunt, cantante Venerabili Conventu Hymnum: *Stabat mater dolorosa &c.* Status in navi Ecclesiæ hinc & inde expositis, Reverendissimus Abbas ad populum dixit super illud Evangelij: *Accessit ad eum Mater filiorum Zebedæi, petens aliquid ab eo.* Concionem exceptit Missa solennis in Pontificalibus decantata. Sacrò finitò, ad Sacellum suum sub cantu convenientium Antiphonarum delata eit utraque Statua, & illa quidem flagellati Domini in altari, altera magnæ Dominae à latere fuit deposita. Finem denique Solennitati fecit Hymnus Ambrosianus, à Choro Musico solennissimè decantatus. Quantum patienti Domino devota cruenti hujus Mysterii memoria placeat, muti jamjam clamant lapides Sacelli nostri, ex Tabulis, aliisque Anathematibus votis liquidò demonstrantes, quod, qui olim fudit sanguinem, ad columnam ligatus, nunc effundat gratiarum imbræ in eos, quibus aqua hæret.

Et

Et nunquid hoc magnum Roggenburgi solatum? enimvero quod talpa palpat, Atheniensis quoque noctua videat necessum est. Sed dilatemos non phylacteria, sed corda, & quas oculi dederunt guttas, dum manus Pontificis magni consecravit Ecclesiam, colligamus in unum, ut sciat orbis posthumus, in mari non amaro, licet, ex falsis lacrymis confluenti, nataesse Roggenburgum, sed ut octo fuisse felix in numero ter octavo, nempe octavo Octobris Anni 1758. In nuce damus Iliadem, & verbis brevioribus maximum nostrum describimus gaudium.

Septimus annorum Salomoni, Sextus Georgio nostro fuit terminus laborum, quo dicere licuit: *Complevit Salomon domum Domini.* 2. Paralip. v. 11. quo temporis spatio non solum ad ultimam usque Aaronis benedicentis manum Templum Domini, sed etiam domum Abbatalem & hospitum, insuper & alam Dormitorii, in quo Religiosi Filii, qui cor sunt Patris, & quibus cordi est Pater securi requiescant, ad ultimam usque tegulam perduxit. His rerum circumstantiis ita feliciter decurrentibus, per litteras ad consecrandam Basilikam humanissime invitatus est Reverendissimus & Illustrissimus DD. Franciscus Xaverius Carolus L. B. Adelmann de Adelmannsfelden, Episcopus Mactartensis, Ecclesiae Cathedralis Augustanae Canonicus Capitularis, Serenissimi Principis & Episcopi Augustani Suffraganeus, & in Spiritualibus Vicarius Generalis, qui, quoniam huic Solennitati dies 8. Octobris Anni 1758 determinata fuerat, pridiè circa sextam vespertinam Roggenburgi adveniens à Venerabili Conventu cum debita reverentia excepsus est.

Ipsa Consecrationis die sub Horis Canoniciis media ad Sextam recitatis, processionaliter comparuere Parochiani Biberacenses, Schießsenfes, Ingstadiani, & Metshoviani, dictaque ad populum concione ab ipsomet Reverendissimo Abbe nostro, suum Consecratio habuit initium, facta Deo sub titulis longè glorioissimis B. V. M. sine labore conceptae, & gloriose in caelos assumptae, hac feliciter absoluta, consecrata pariter sunt tria Altaria, primum quidem & princeps in honorem B. V. M. sub titulis primò dictis, alterum in honorem B. V. M. Divinum partum suum expectantis, tertium in honorem S. Josephi. Consecrationem exceptit Missa solennis à Reverendissimo, Perilustri, ac Amplissimo DD. S. R. I. Prælato, D. Josepho, Canon. Reg. Præmonst. Abbe Ursperg. in Pontificalibus decantata.

Die Lunæ placuit Illustrissimo DD. Episcopo, quæ supererant, aras quinque consecrare, nempe medianam in honorem Crucifixi D. N. J. C. Dolorosæ Matris, & SS. Joannis Evangelistæ & Mariæ Magdalena: primam ex cornu Evangelii in honorem S. P. N. Norberti, S. Severinæ Virg. & Mart. & S. Francisci Xaverii: secundam in honorem Sacratissimæ Familiæ, SS. Venantii & Georgii Martyrum: primam ex cornu Epistolæ in honorem B. V. M. de monte Carmelo, S. Laurentiæ Virg. & Mart. SS. Joannis Nepomuceni & Theresiæ, secundam in honorem omnium Sanctorum Præmonstratensium, S. Valeriae Mart. & S. Martini Epif.

Die Martis idem altefatus DD. Consecrans solenni inunctione dedicavit Ecclesiam Parochiale in Oberwisenbach, à Fundamentis erectam.

Miraberis, amice Lector! volante duntaxat calamo magnam hanc atque octiduanam Solennitatem describi. Ast scito, longiore fuisse in Opusculo quodam typis publicis evulgato, cui titulas: Wohlreichend- und beständig blühende Lilien gesammlet bey hoher Einweyhung, und acht-tägiger Solennität der neuerbauten Closter-Kirch in Roggenburg &c. ad quod proinde curiosum remittimus oculum. Et hæc sunt, ex quibus sole meridiante clarius deducitur, quantum decorum Domus Dei diligit Reverendissimum Caput nostrum: restat, ut breviter perstringamus immensam propè sollicitudinem in Bonis vel conservandis, vel denuò recuperandis, quæ aut temporum injuria, aut hostium malitia, aut quorundam Præfulum incuria male fuerant alienata. Inter hæc posterioris generis bona avulsas meritò lugemus Parochias in Reisartshoven, Ebershausen, Wallenhausen & Biberberg, pleno quondam jure Monasterio nostro unitas & incorporatas. Et quidem, quod concernit Wallenhausen & Biberberg, utriusque hujus Paræciae Jure Patronatū cum omnibus suis appertinentiis jam ultrà Sæculum gaudebant Abbates Cesareenses, quin ulla Roggenburgo spes affulserit, Jus illud & Juri cohærentia Bona denuò recuperandi. Tandem vero ad repetitas Amplissimi Patris nostri instantias Cesarea predictum Jus Patronatū Roggenburgo restituit quo semel obtento, citatas Romam expedivit litteras Reverendissimus Abbas noster, Restitutionis confirmationem, sicut & licentiam, ad Parochiam quoconque modo vacaturam expendi Vicarium Regularem, & unum de gremio Roggenburgensi, impetraturus. Causa ab Illustrissimo DD. Nuntio Lucernensi ad ultimum usque Juris rigorem discussa, tandem à SS. D. N. Benedicti Papa XIV, fel. record. emanavit Bulla data Calendis Septembribus 1757. quæ incipit: *Romanus Pontifex Ineffabili &c. &c. vi cuius Monasterio Rog-*

U u 2

gen.

genburgensi dicta Parochia reincorporatur, & Abbati pro tempore existenti plena conceditur facultas, exponendi Vicarium Regularem ex gremio nostro. Verum Episcopali Curiā Augustanā contra prædictam Bullam excipiente, & ad Congregationem Sac. Concilii appellante, modò Romæ hæret causa, cuius æquitatem & justitiam ipsem Reverendissimus Abbas noster impigro ac impertæso labore ex Documentis undequaque authenticis & solidis, Romam missis, hactenus illustravit adeò, ut dulci spe laetemur, fore, ut hoc sub Antesignano nostra causa triumphet. Nemoproin miretur, si Amplissimo & amantissimo Patri nostro corde & voce una acclamemus: qui totus vigilat pro nobis, non nisi post sèculum in pace dormiat, & requiecat.

## C A P U T XXIII.

## De Viris Litteratis.

**H**abeat suas sibi Græcia Athenas, jactet Maronem Mantua, extollat Roma Tullium, suum Cynthiae splendorem cum molossis haud invidemus; cùm nostratum quoque Scholarum subsellia non adeò sint humilia, ut ab illis non prodierint viri, quibus magnum in orbe litterario nomen fuit. Absit jaçtantia verbis, quibus nudam eloquimur veritatem, contestando: Roggenburgum peperisse mundo Poëtas, Orationes, Philosophos, Juristas, Theologos, numeris omnibus absolutos. Vin amicè Lector? quosdam è digitis recenseamus! dabimus aliquid petitioni tuae; sed cave suspiceris, quasi omnes in cælo stellas dinumeremus. Sunt enim non pauci, quorum licet magni nominis fuerint, nobis vix nomina recensere concessit nimium parcus predecessorum calamus. Id ergo de tua æquitate confidimus, fore, ut ex ungue agnoscas Colossum, firmiterque credas, magnarum alarum aquilas nunquam implumes generare posses. Igitur

Primus, quem Acta Roggenburgensia ab eminenti doctrina depraedicant, occurrit Georgius Mabler, Abbas tertius, ex Infulatis primus, meritis nulli secundus, de quo ita legimus: „Vir erat Antecessorum facilè primus, eximiè litteratus, utriusque Juris laurea clarus, Augustissimi Imperatoris Friderici Confiliarius, singulari rerum a-gendarum dexteritate, suisque meritis Urbi & Orbi notissimus.

Alterum à Georgio locum tenet Jodocus Treber, Abbas quintus, de quo Acta Roggenburgensia: „Scientia tantâ erat, ut non suorum modò, sed Augustissimi quoque Cæsarialis Maximiliani, cui à consiliis erat, amore in existimationemque haud vulgarem sibi conciliaverit. Et verò solus ille nomen viri doctissimi negabit Jodoco, qui nescit, Bibliothecam Roggenburgensem, olim totius Suevæ nobilissimam, Patrem habuisse Jodocum, evidenti argumento, quod similes amaverit similes, nempe doctus Doctores.

Tertius adest Joannes Mayer, Abbas octavus, Orator adeò facundus & suasivus, ut ab Eminentissimo Cardinale & Episcopo Augustano Ottone Civitati Lavinganæ, de Religione deserenda cogitanti, Pastor fuerit præfetus. Abbas, & Prælatorum Circuli Suevici Primas seu Director, Augustæ Vindelicorum Imperatore & Regni Proceribus è suggestu dicere jussus, teste Ordinis Præmonstratensis Annalista, omnes in sui admirationem rapuit.

Quartum sibi subsellium vendicat Michael Probst, Abbas XIV, Vir eximiè doctus, & præcipue insignis Poëta, cuius Vena quā copiosa fontis Castalii aquā superabundaverit, orbi testatum facit „Carmen de ortu & interitu Sifridi Canonice Roggenburgensis Fundatoris filii, factum & inscriptum Reverendissimo DD. Jacobo ejusdem „Monasterii Abbatì à F. Michaeli Probst ibidem professo 1597. Michaeli ad clavum fedente, aliquotex Religiosis Fratribus, quos ad Dilingana Studia miserat, redierunt SS. Theologiæ & Juris laurea decori. Quos inter præcipiū erat immediatus Michaelis Successor.

Fridericus Rommelius Abbas XV, de quo jure meritissimo scribit Annalista Ordinis nostri: Fridericum fuisse Musarum Delicium, & Litteraturæ cultioris Epitomen. Opusculo prorsus insigni De Jure Abbatum Anno 1728. quo tempore P. Bonaventura Wörle, hujatis Collegii Canonicus, & SS. Canonum Professor Canonicam Centuriam ex universo Jure Pontificio vulgavit, typus addidit alas, ut ad immortalem Reverendissimi Authoris sui laudem in orbem litterariorum evolaret; Titulus ita sonat. „Friderici Rommelii Reverendissimi DD. S. R. I. Prælati, Imperialis immediati ac Exempti Collegii Roggenburgensis Sac. Cand. Ord. Præmonstratensis Abbatis, & SS. Theol. Licentiati Capita Canonica de Jure Abbatum Decretis Conciliorum illustrata, assistentia utriusque Juris stabilita, authoritate Theologorum ac Canonistarum obfirmata, succincta

Etia veritate posteritati relicta ad Abbatum jura contra quosvis insultus firmiter manutenenda.“ Atque huic Opusculo ut manum commodaret magnus Rommelius ,Occasionem, referente Annalista Ordinis, dedit visitatio in Ordinis & Jurisdictionis Regularis dispendium ab Episcopo Augustano Roggenburgi attentata, quam juridico processu & eruditis scriptis repressisse notatur juris utriusque peritissimus Abbas. Idem ipse Commentarium in Regulam S. Augustini exorsus est: sed reviviscens Martis Suecici furor calumna de manu excuslit, Opus præstantissimum, sed infectum, expectat manum & spiritum alterius Rommelii. Nobis, quæ supersunt, fragmenta ex ungue leonem demonstrant, quem etiam Lector cognoscet ex solo titulo, hic apposito : „S. P. N. Aurelii Augustini Episcopi Hippoensis eximii unius Speculi „Libellus, in vicem Regulæ Canonice S. Norberto Præmonstrati Ordinis Conditori eæhibi- „tus, ab S. R. Ecclesia approbatus, à plurimis Religiosis Ordinibus postea frequentatus.“ Denique scrinia nostra domestica instar thesauri custodiunt opus numeris omnibus absolu- tum, & sic pleno titulo inscriptum : „Adelberga, illustre apud Württembergios Candidi Ordini- „nis Cœnobium, auspiciis Friderici ex Suevorum Duce Imperatoris I. extructa, ab hæresi „Lutherana violenter occupata Eerdinandi II. Cæf. Aug. Pii. fel. Viæt. beneficio Præmon- „strantibus denuo restituta. Ex antiquis ejusdem Ecclesiæ monumentis, publicis Imperii „Actis, & aliis Germaniæ Scriptoribus concinnata. Reverendissimis in Christo Patribus ac „D. Dnis. Cand. Ordinis Præmonstratenis in Suevia primoribus Abbatibus dedicata à P. „Friderico Rommelio p. t. Subpriore Roggenburgi anno 1629.

*Adalbertum Rauscher, Abbatem XVIII. , Annales Ordinis depredicant ut virum Musi- ces, Poëseos, Philosophiæ, ac Theologiæ peritissimum.*

Casparus Geisler, Abbas XXI, SS. Theologiæ & SS. Canonum Licentiatus, primam ap- posuit manum Actis Roggenburgensis, eaque ad annum 1735, quo ad Insulam fuit assump- sus, felici penna deduxit. Idem ex Idiomate Gallico in Latinum transtulit Opusculum quadam Asceticum, hoc titulo notatum : „Illuminator, & in via Christianæ perfectionis ductor, „seu Pastor fortunatæ noctis.“ Qui quidem Illuminator ad huendum sed & in tenebris scriniorum, suo tamen tempore prodibit in lucem, & illuminabit abscondita tenebrarum. Ab eodem compositus, & typis evulgatus est: „Ecclesiæ Roggenburgensis jamnum sexcentenariæ Tri- „umphus Præsidii, & debitæ gratitudinis Tessa. Das ist: Des in Gott frolockenden, mit neu- „mehrten bimmischen Schutz triumphirenden, und mit erstandenen Sechs- bundert jährigen Stiftungs Al- „terthum beglückten Reichsstift und Gottshaus Roggenburg, bey Begebung, und mit achtjähriger Andacht „solemnisirten sechsten Stiftungs Sæculi abgelegtes Danckoffer.“ Quo in Opere & suum & P. Christophori Kayser Can. Roggenb. oestrum poëticum abundè demonstrat. Ceterum, quod do- fissimo huic Præfuli ad laudem immortalem cedit, prætereundum non est, scilicet ipso viven- te, Musas omnes veluti ad novum Pindum convolasse Roggenburgum, & modò sub laribus nostris domesticas esse scientias propè universas. At quid mirum? magis magisque illas identidem fovet ac protegit

Georgius Lienhardt, Abbas felicissimè regnans, vivum omnis scientiæ compendium, cuius in laudem Roma, Salisburgum, & Dilinga, nobis mutis, dudum vocales fuerunt. Ne ad calcem hujus Opusculi atramento nostrô modestissimus Abbatis humillimi candor mu- tetur in ruborem, in medium duntaxat producemus lucem egregios eruditissimi Ingenii sui partus, quorum primus est

Ogdoas Erotematum ex octonis Theosophiæ Scholasticæ Tractatibus publicæ luci & concertationi exposita 1746. - Ulmæ Typis Joan. Georgii Vogelii. Opus adeò perfectum, ut de illo scriperit censueritque Universitas Dilingana: „Erotemata illa non solum à S. Or- „thodoxa fide, morumque sincera honestate nihil dissentire, sed etiam zelo nunquam fatis „celebrando omniq[ue] tam copia quam opera ingenii excellentis, doctrinæ ac eruditionis pro- „fundæ & vastæ, laborisque impigerrimi in id unum felicitate insigni conniti, ut ex integro „fana, secura, & firma Religionis, morum, ac reliqua Sæ. Theoriæ placita exponant pelluci- „dæ, stabiliant validè, promoveantque amplissimè.“ Hæc tenus Episcopalis Facultatis Dilin- ganæ censura. Qua non obstante displicuit partus iste cuidam Viro optimo & litteratissimo, illiciò typis *Responsa ad Scrupulos Lienhardii* opponenti, evulgantique.

Ad hæc Responsa felle potius, quam charitatis moderationisve melle turgentia neuti- quam obmutuit Lienhardius; sed generosè, ipsa Roma indulgente, compilavit justæ profe- ðæ molis librum sub titulo: *Moderamen inculpata tutela, seu justæ Exceptiones contra Autorem Ideæ*, ab Universitate Salisburgensi speciosa prorsus approbatione donatas. Quoniam verò vis altior judicavit, mansuetum silentium præstare contentiosis Scripturitionibus; hinc Ma- nuscriptum lucem publicam nondum aspergit, sed in scriniis nostris asservatur, donec se- renior rideat Phebus.

Fœtum alterum, sed neicum publici juris factum, emisit 1748, nempe: *Supplementum Meditationum ad Festa Ordinis & Ecclesiæ Roggenburgensis.*

Tertius, obstetricante typo Lincii, genitus est 1754, sub nomine: *Exhortator Do- mesticus*, Religiosam animam ad perfectionem excitans & tanto cum plausu & desiderio ubique gentium exceptus, ut brevi secunda editione sit proditurus.

*Tom. VI. Collect. Monast.*

X x

Quar-

Quartus è p̄lo in orbem evolavit 1756. sub titulo: B. V. Mariæ Originaria Immu-nitas à sequioribus Lamindi Pritannii censuris vindicata.

Hunc quintus anno 1758. fecutus est, videlicet: Causa Sanguinis & Sanctorum.

Sextus proximè lucis usuram accipiet, & vocabitur nōmen ejus: Exhortatoris Domestici Volumen II, seu Disciplina Tyrocinii, qua Novelli Religiosi juxta Evangelium Christi, & Regulam S. Augustini ad perfectionem efformantur. Ex his, amice Lector! apertè conjicies, Reverendissimum Georgium nostrumverè duplē esse Thomam, Theologia Angelicum, Ascēsi Kempensem. Restat, ut in eodem quoque videas magnum Gregorium. Talem certe tum nostræ, tum alienæ s̄pīis stupuerunt exedræ. Nos ex multis foliū tres adducimus, & verba vitæ, quæ locutus est, damus synopticè:

1. Gerechtigkeitsbejammerter Verlust des in fremde Lande abreygenden zweyten Tobias, oder Trauer-Lob- und Ebren-Predig des weyland Hochwürdigen, Wohlgeborenen des H. R. R. Prælaten, und Herrn Melchior, eines Hochwürdigen Reichs Stift Wettenhausen der Regulirten Chorherren S. Augustini würdigsten Probst, und Lateranensischen Abtten &c. &c. 1755. die 21. Octob.

2. Zweyfaches Gnaden- und Glückvolles Gastmahl Asucri und Estheris, erneueret an dem zweyfachen Hochheiligen Fest der Kirchweyb, und des H. Rosencranzes in dem uralten, obnittelbahren Reichs-Stift und Gotteshaus Ochsenhausen, Ord. S. P. Benedicti, den 1. Tag des Monaths Octobr. 1758.

3. Der gute mit der Cron eines Ehrwürdigen Alters belohnte Hirt, bey der zweyten solennem Jubel-Primiz des Hochwürdigen in Gott Geistlichen Hochgelehrten Herrn P. Pii Schirt, des Hochlöbl. freyen, obnittelbahren Reichs-Stift Marchtall, Sac. Cand. & Exempti Ord. Præmonst. Capitularis & Senioris in Professione & Sacerdotio Jubilæi &c. &c. 29. Aprilis 1759.

Et hæc sunt mitrata Ecclesiæ nostræ Capita, quorum semper honos, nomen, laudésque manebunt ob eminentem scientiarum apparatum. Sed nec filii desunt, qui Amplissimos Patres suos, licet pede non semper æquo, strenuè sunt secuti.

Hos inter primas tenet P. Joannes Luickinger, expositus Wallenhusii Parochus, Theologus adeo profundus, ut ab Episcopo Augustano denominatus missusque fuerit Badam Helvetiæ civitatem, ad refellendos publica concertatione hæreticorum errores, ut suo jam dictum est loco.

P. Bonaventura Kleinmayr, Collegii nostri Subprior, vir æquè doctus ac pius, anno 1684. elucubravit Tractatum de Statu, fine, officio, & virtutibus Religiosorum. Plura scribere paratus, nisi filum vitæ cum calamo mors præmatura rupisset.

Plur. R. P. Meinradus Eehalt, Emeritissimus Canonici nostræ Prior, & veteranus Novitiorum Magister, cujus memoria nobis semper in benedictione erit, Librariam domūs nostræ suppellestilem auxit pretioso Opuscul. Ascetic. sub Titulo: Homo Religiosus in triplici via incipientium, proficientium & perfectorum benè instructus. 1714.

A. R. P. Antonius Westenthanner compendio docuit ire viam perfectionis, anno 1740. concinnando Compendium Introductionis ad vitæ spiritualis perfectionem in P. Herlet.

P. Josephus Hugl statura pusillus pietate magnus in lingua vernacula conscripsit Opuscula duo pietate ac utilitate plena. I. muc dici voluit: Warhaffte und sittliche Abbildung der Apocalypticen Frau in Maria der Jungfräulichen Mutter Gottes. Alteri nomen dedit: Heiliger Ehestand, das ist, Unterricht junger Eheleuth, wie sie fromm leben, und ihre Kinder Christlich auferzieben sollen. Denique

P. Philippus Bayhamer desudavit in quibusdam Opusculis partim impressis, partim præ-  
lo maturis. 1. Historia Monasterii Roggenburgensis &c. Ulmæ Typis Joan. Georg. Vogelii 1759. 2. Wohlreichend- und beständig blühende Lilien gesamlet bey hoher Einweihung, und acht-tägiger Solemnität der neu erbauten herrlichen Closter-Kirch in Roggenburg &c. Günzburg, gedruckt bey Joh. Christoph Wagegg. 3. Opus imperfictum Authoris imperfectissimi Opera Perfectorum exhibens, seu Vitæ & res memorabiles Sanctorum ac Beatorum Candidiss. Ord. Præmonstratensis, stylo novo elucubratæ. 4. Natales Sanctorum Cand. Ord. Præmonst. olim à Reverendissimo DD. Vander Sterre Abate S. Michaelis Antverp. publicati, nunc à P. Philippo Bayhamer, Can. Roggenburgensi augmentati.

### Conclusio.

Jam fessum suspendo calatum, qui Historiam, non fabulam scripsit. Præpositos tibi  
Pars prima proposuit, Abbates altera exhibuit, utraque docuit, quibus hucusque fatis  
jaetata sit Imperialis Canonia nostra. Grates iteratò agimus Fundatori Bertholdo, qui,  
dum filius unicus occidit in undis, vinô & frumentô nos stabilivit. Grates Præpositis &  
Abbatibus, qui vigilantiâ suâ pauperum bona augmentarunt: grates iis omnibus, qui gra-  
tiis suis nutantem roboraverunt, conservaverunt. Mercedem reddet ille, qui frigidam  
pauperi datam præmio non finit esse vacuam. Si calatum fors offendisse deprehen-  
dis Lector, ignosce, memor, etiam linguas perorantium in Cathedris  
quandoque balbutire.

Ad Majorem DEI Gloriam & Honorem.